

**Quaestio medica eaque therapeutica ... sub hac verborum serie An ad curandam diabetem diversi generis remedia sunt adhibenda ... / [François Laboissière].**

### **Contributors**

Laboissière, François.  
Chicoyneau, François, 1672-1752.  
Ecole de médecine de Montpellier.

### **Publication/Creation**

Monspeliï : Apud viduam Honorati Pech, 1720.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/c8ebf2at>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.


**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Suppl/P

61699/P

LABOISSIERE



Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30354146>



# MEDICA

EAQUE THERAPEUTICA,

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

FRANCISCO DE CHICOYNEAU

Regis Consiliario & Medico, nec non in  
Almâ Monspeliensium Medicorum Aca-  
demiâ Professore Regio Anatomico, Bo-  
tanico, Cancellario amplissimo, Judice  
æquissimo, Horti Regii Monspeliensis  
Præfecto, Regiæ Societatis Socio, & in  
Supremâ Computorum subsidiorumve  
Occitaniæ Curiâ Senatore integerrimo,

SUB HAC VERBORUM SERIE  
AN

*Ad curandam Diabetem diversi generis  
Remedia sint adhibenda.*

Quam Deo - duce & Auspice, propugnabit  
FRANCISCUS LABOISSIERE Varaniensis apud  
Petracorios, Liberalium Artium Magister,  
antiquus Universitatis Consiliarius, & jam-  
dudum Medicinæ studiosus, in Augustissimo  
Monspeliensi Apollinis Fano, die      mensis  
Maii 1720.



MONSPELII,

Apud VIDUAM HONORATI PECH, Regis & Uni-  
versitatis Typographi. 1720.



# DISPUTATIONUM

## PROFESSORES REGII

R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*

R. D. Petrus Chirac, *Serenissimi Ducis  
Aurelianensis Archiater.*

R. D. Antonius Deidier.

R. D. Petrus Rideux.

18332 R. D. Antonius Magnol.

R. D. Joannes Astruc, R. D. Chirac  
*Coadjutor.*

R. D. Jacobus Chastelain.

R. D. Henricus Haguenot.

R. D. Jacobus Lazerme, R. D. Bezac  
*Coadjutor.*

## DOCTORES ORDINARII

M. Petrus Peyraud Puibornand.

M. Josephus Richard de Boutillier.

M. Joannes Martin.


M. Jacobus Pistoris.

M. Antonius Cairol.

M. Joannes Lion.







PEPERBER • OVELLEN







CELSSISSIMO AC PRÆPOTENTI  
PRINCIPI

DE CARENCY.

NICOLAO DE QUELEN  
STUART DE CAUSSADE

Comiti de la Vauguyon , de Quelen ,  
& du Broutey , Marchioni de Saint  
Megrin , Vicecomiti de Calvignac,  
Baroni de Thonneins , Grateloup ,  
Villeton , Puicornet , La Gruere ,  
Domino de Varaigne , l'Arnagol ,  
Talquoymur , La Chesnaye , Pro-  
vinciae Cadurcensis Baroni secundo,  
Sarlati Advocato , &c.

**P** RINCEPS CELSSISSIME ,

*Quod rudis & novitius Artis Apol-  
lineæ Cultor , tenues adeo Laborum Aca-*



demicorum pri  
CELSITUDINI tuam, & potentis-  
simum ejus Patrocinium promereri me  
posse confidenter sperem. Nullus haud-  
dubiè mirabitur, qui sciet tot inter an-  
tiquioris imò quoque Regiæ nobilitatis ti-  
tulos, & illustriorum dignitatum vir-  
tutumq; decora quibus præfulges, emi-  
nere tamen singularem illam humanita-  
tem, veramq; magnanimitatem quæ cu-  
juscumque sortis mortalibus ad aram be-  
nignitatis tuæ confugientibus, certum &  
efficax præsidium denegari vel deesse mi-  
nimè patiuntur.

Sed iterum meam in hoc ambiendo per-  
illustri validissimoq; tutamine fiduciam,  
multo minus adhuc mirabuntur, quicum-  
que noverint ad illud obtinendum, non  
magnas & iteratas preces, non exquisita  
munera, non anxia repetitaq; vota de-  
siderari, verùm unicam præsidii necessita-  
tem semel cognitam sufficere, ut hoc in-  
digentes authoritatis magnitudine, con-



fil. quod præcipuum  
est, ut a. . . premanur inopia, largitioni-  
bus Principe dignis protegas & adjuves.

Demum & eandem fiduciam minimè  
temerariam, quin ex adversò legitimam  
judicabunt, quilibet attendent humanissi-  
mi nostri Principis charitatem & amorem  
erga Clientes, tantarum esse virium, ut  
eorum egestatem Ministrorum & interces-  
sorum vocibus, aut supplicibus libellis ex-  
poni nequaquam expectet. Verum in hac  
ubicumque lateat detegenda, paternam  
& indefessam curam adhibere non desinat,  
quo possit eidem etiam illeso pudore, li-  
beralitatæ summæq; potestatis amplitudine  
subvenire.

Humanitas ergò, magnanimitas, im-  
mensaq; CELSITUDINIS TUÆ cha-  
ritas erga Clientes, ad ejus tutelam in  
hisce non parum arduis Laborum meorum  
initiis confugiendi, magnam hæc dedere  
fiduciam, quam insuper auxit penitusque  
firmavit consideratio memorabilis hujus



erga Deum imm. 12  
cum prae laudatas inter virtutum principa-  
tum teneat, earumdemque basis sit &  
origo, vim harum inviolatam & inex-  
haustam huc usque praestitit, praestabitque  
semper, cum ipsamet summa sit, & per-  
manserit haec tenus inconcussa, cum tot  
hujus & adeo luculenta testimonia de-  
deris, praesertim verò dum munificentia  
religiosissimo Principe digna, publicum in  
Urbe Thonneiana Religiosorum hominum  
Conventum erigi, Fanumque primarium  
ejusdem Civitatis, Impiis Hereticorum  
furoribus incensum, & eversum propriis  
impensis refici curavisti. Cum denique  
Sanctissimam Salvatoris nostri Legem,  
non tantum alta mente diu noctuque re-  
volvere, sed & illius sanctitatem im-  
munem ab omni labe servare, verumque  
supremi numinis cultum propagare sem-  
per studueris.

Nec mirum; Divinam hanc virtutem  
in nostro Principe sic splendescere, cum



eam auferit ex intimo sinu Parentum ,  
& ad eandem ardentissimo colendam stu-  
dio , potenter & assiduo commoveatur  
exemplis Avorum clarissimorum , quos in-  
ter sexdecim numerantur Equites nobilif-  
simi , multò magis hujus eximiæ pietatis,  
quam fortitudinis utut insignis claritudi-  
ne percelebres , utpote qui Cœlestibus Spi-  
ritus Divini flatibus impulsæ , vitam &  
fortunas , ad extorquendas è manibus In-  
fidelium terras , pretioso sacri nostri Re-  
demptoris sanguine conspersas , ultimo dis-  
crimini committere minime dubitarunt.

Cetera verò clarissimaq; virtutum or-  
namenta , quibus à tot retro sæculis , ad  
hanc usque diem , præcelsa Queleniorum  
Domus semper enituit , quemadmodum &  
ea quibus præter jam memorata , CELSI-  
TUDO TUA condecoratur , rudem ad-  
huc & inexpertum in dicendi facultate ,  
venerabundo potiùs silentio suspicere de-  
cet , & impense demirari , quam eloquii  
simul & ingenii culpâ deterere , cum



aliundè sufficiat ad desideratum & soci-  
nium confidenter non minùs ac suppliciter  
ambiendum, & exorandum, humanissi-  
mum piissimumq; Principem invenisse. Nec  
mibi quidquam amplius peroptandum su-  
persit, quam ut Laboribus indefessis, as-  
siduisq; vigiliis, & præsertim humani-  
tatis charitatisve Principis ad exemplum,  
dum artem profitebor exercitio, CELSI-  
TUDINIS TUÆ, tutela non indignus  
aliquando possim evadere. Hæc summa  
votorum est illius qui profundissima cum  
veneratione gloriatur, semperq; gloria-  
bitur esse,

PRINCEPS POTENTISSIME,  
CELSITUDINIS TUÆ,

Dabam Monf-  
peli die 26.  
mensis Maii  
anni 1720.

Observantissimus &  
obsequentissimus Cliens  
FRANCISCUS  
LABOISSIERE.



# QUÆSTIO MEDICA

EAQUE THERAPEUTICA,

AN

*Diabeti diversi generis remedia competant.*

\* \* \* \* ÆC de Diabete, seu immoderato  
 \* H \* celerique per vias utinarias serosi  
 \* \* \* \* laticis fluxu Dissertatio, quibusdam  
 haud dubiè nullæ vel exiguæ prorsus uti-  
 litatis esse primâ fronte videbitur. Quòd  
 id morbi genus rarum adeò sit in hisce  
 regionibus, ut Seniores inter & experien-  
 tissimos Æsculapii Proceres, paucos ad-  
 modum liceat invenire, quibus semel, aut  
 bis, illud in toto vitæ decursu videre &  
 tractare contigerit. Verùm quandoquidem  
 Hygeæ leges exoptulant, ut illius sacris  
 addicti, non tantum ad vulgares, sed &  
 rariore affectus, occasione datâ, sanandos

A



certam seu salutarem opem con-  
 leant : nullusque propèmodum Author,  
 saltem alicujus notæ, reperiat, qui, si  
 tradat generalem morborum historiam, de  
 Diabetis quoque naturâ, causis, signis &  
 curatione non edisserat. Cum insuper va-  
 ria quæ solidis & fluidis corporis humani  
 partibus inferuntur malorum genera, sum-  
 mam inter se ratione causarum, saltem  
 evidentium, & consequenter indicationum  
 & remediorum analogiam habeant, ut vix  
 possibile sit exponi cujusdam morbi theo-  
 riam, & curationem; quin expeditior ad  
 quam plures alios dignoscendos domandos-  
 que via paretur. Denique cum fluxus Dia-  
 beticus peregrinarum regionum ad Septen-  
 trionem vergentium, Magnæque Britanniae  
 præsertim alumnos non infrequenter inva-  
 dat : & horum multi seu Gallicæ gentis  
 morum elegantia, seu aëris insigni potis-  
 simum in hoc nostro tractu salubritate fruen-  
 di causa, apud nos commeent, & aliquan-  
 diu commorentur : quibus perinde lectissi-  
 mis & nobilissimis, quoad maximam par-  
 tem Hospitibus, subortâ necessitate, se-  
 cundum humanitatis leges pro virili suc-  
 currendum; his omnibus, inquam, ratio-  
 num momentis incitati, quælibet ad mor-



bi . . . norati notionem & curam spectant,  
 exponere decrevimus. In quo quidem exe-  
 quendo proposito, cum ob affectûs rari-  
 tatem propriis observationibus uti prohi-  
 beamur, Authorum scientiâ & experien-  
 tiâ celebrium, summâque fide dignorum;  
 quibus nimirum hac in parte feliciores esse  
 contigit, opera diligenter evolvimus; ac-  
 curatas quæ ab ipsis proponuntur Diabe-  
 ticorum historias iterum, atque iterum at-  
 tentâ mente legentes; ut ex his omnibus  
 sedulò collatis viribusque meditationis re-  
 petitæ probè digestis, perfectam fluxus adeò  
 stupendi eidemque medendi notitiam conse-  
 qui, tum & acquisitam omnium oculis &  
 examini subicere liceret.

Cum autem unanimi consensu Diabetis  
 essentia posita sit in eo quod serofus latex  
 assiduo, miraque prorsus cum abundantia,  
 tum & celeritate per urethram exeat, sic ut  
 potulenta quælibet avidissimè sumpta, si-  
 mul & ea quæ generantur aut cumulan-  
 tur in vasis fluida, brevissimo temporis in-  
 tervallo, quodque maxime notandum, vix  
 cocta mutataque reddantur. Necessarium  
 idcirco fore duximus, antequam historia  
 morbi proponatur juxtâ methodum in hoc  
 lycæo receptam, hîc paucis & accuratè



tamen perpendere, num ad hujusmodi consideratæ promptæque secretionis & excretionis rationem reddendam, cum CARTESII discipulis, aliisque permultis inter Neotericos, tum doctrinâ, tum autoritate pol-  
 lentibus supponendum sit aliam à naturâ providâ longeque breviorẽ, cognito circulationis itinere, viam paratam esse, cu-  
 jus ope nimirum, quælibet ore sumpta simul & in vasis exundantia liquida possint ad renes, & vesicam urinariam velociter appellere, & consequenter sine morâ per urethram excerni. Si namque totus quam longè latèque patet circulationis orbis iterum atque iterum à potulentorum rivulis sit percurrendus, antequam pervenerint ad urinæ conceptaculum, sicque per innumeros penè mirèque flexuosos & intortos vasorum surculos diffundi debeant; & repetitis tum solidorum ictibus, tum motibus fluidorum, ad intimam cum cæteris universæ massæ particulis unionem adigi; certè patet evidenter, his suppositis, nec explicari, nec intelligi posse quâ fiat, ut mineralium aquarum potatores, & Diabetici, tot liquidi ferè prorsus immutati, vel subdulcis seu insipidi rivulos quam cibarissimè valeant emittere.



5

Hinc itaque plurimis, iisque clarissimis Hygeæ cultoribus occasio data, novam eamque breviorẽ viam excogitandi, cujus ratione potulenta, vel latex aqueus celeriter ad vesicam appellantur, & eorumdem miscela cum *Simul* præpediatur. Statuunt etenim ventriculi, & intestinorum si ~~meatus~~, ut si fortassis laxentur ab exundantibus aquis, vel caloris intenzi viribus dilatentur, easdem aquas propter æstus vehementiam in effluvia resolutas per hosce meatus illicò traduci: unde brevissimum iter ad vesicam ostenditur, cujus pori rursùm supponuntur ita concinnati, ut nubem effluviõrum accedentem in illius conceptaculi cavum admittant; ubi denuò condensata, & in aqueum laticem conversa confestim per urethram effunditur. In eundem pariter scopum collimat sententia statuentium quosdam ductus à fundo ventriculi per Epiploon ad vesicam, vel à lacteis ad renes tendere: quibus videlicet ob causas supra memoratas distentis & reseratis potulenta secundum omnem sui massam celerius transmittuntur.

Verùm post attentum, & sedulum hujus hypotheseos, & rationum quibus nititur examen, tot & adeò gravibus ne di-



cam insuperabilibus difficultatibus patentem introspeximus, ut nobis minimè licuerit calculum huic adjicere, quin potius refellendam censuimus, vel ex eo potissimum quod absque hoc subsidiario, fictioque pororum & novorum ductuum apparatu, nec aliunde maximo cum labore possit explicari, quâ ratione certis in casibus fiat interim adeo velox & copiosa liquidorum per vias naturæ familiares secretio, simul & illa multiplicem vasorum orbem peragrare queant, quin cum reliquis totius massæ particulis intimè miscantur. Et ut statim ad rem, seu ad argumenta quibus opinio memorata convellitur, accedamus; Hæc inter cætera summam moerentur attentionem.

I. Si ductus secretorii renum, pelvis, aut ureteres, vel à calculo, vel ab arenulis, vel à materiebus viscidis & tartareis penitus obstruantur, vel magnæ cujusdam inflammationis viribus, seu alio quovis insigni tumoris genere comprimantur, sic ut assueto muneri fungi nequeant. Tum (& illud probe notandum) ex toto prorsus intercipitur urinæ fluxus, nec subinde licet in vasis cumulata, & interdum in ventriculi cavum effusa, nec utcumque li-



quida diversi generis hauriantur avidè , iisdemque mirum in modum stomachus , & intestina turgeant : etsi tandem , nec liquor ad laxandos meatus suppositos deficiat , nec calor ad eosdem dilatandos : neque demum æstus intensus desideretur , quorum ope potulentorum materies in effluvia resolvi, resolutaque traduci possit. In hoc tamen rerum statu ; Nec urina reddi , nec miseri ægrotantes ab imminente pernicie valent liberari. Unde consequentiam , luce meridiana , clariorem quivis eliciet , renes non modo præcipuum , sed & unicum urinæ colum esse , cum ubi cessant ab hoc implendo munere , nulla pars alia corporis humani eorundem vicem obire possit.

II. Alterum argumentum adversus præfatam hypothesim petitur , ex eo quod hujuscemodi sive pori , sive ductus nullo experimenti genere potuerint adhuc dum demonstrari , licet omne prorsus artificium à viris industriis , & in Anatome versatis , ad hosce detegendos fuerit adhibitum ; & hi verò similiter in conspectum venire debuissent , saltem in statu præternaturali ; dum ex suppositis impensè dilatati plures aquarum rivulos in Diabeticis nimirum Hydropicis , & aquarum mineralium pota-



toribus jugiter traduxerunt. Cum itaque nullum horumce meatuum vestigium hactenus apparuerit, vasaque à BARTHOLINO, aliisque allegata, vera sint lymphatica, maxima subnascitur ratio de eorundem existentiâ dubitandi.

III. Novus hic secretionis ritus naturæ legibus, seu mechanismo quem supremus machinæ Conditor ad cæteras omnes secretiones sensibiles stabilivit, penitus ad-versatur, & aliundè suum urinæ, sicut reliquis recrementis mirâque prorsus elaboratum arte eorum concessum fuit, quod ex infinitis penè vesiculis & ductibus conflatum ad immensam aquarum molem assiduò celeriterque traducendam compactum est, posito quod à fonte perenni jugiter suggeratur; ut perinde labor qui novis meatibus inveniendis & comminiscendis impenditur, superfluous planè, nostro quidem judicio, debeat reputari.

IV. Si tunicæ quibus constat conceptaculum urinæ sint instructæ poris foris introspectantibus, jure quæritur, cur Asciticorum aquæ collectæ intra cavum abdominis, & consequenter hujusmodi poris immediatè appositæ, per hos tamen minime traducantur, utcumque laxari de-



beant à liquidis stagnantibus, vel caloris intensi viribus dilatari. Demùm & aquea prætermo- dum, excalecta possint in effluvia resolvi, quarum nempe causarum concursu similes effectus in ventriculo produci supponunt: imo quò major in infimo ventre congeritur feri copia, quò vehementior æstus urget, quò denique materies vaporum abundantior, eò difficiliùs hæc ferosi laticis colluvies expurgatur; nec Hydropis sanationem licet sperare, nisi referentur intestinorum aut renum ductus. De quo aliunde morbi genere notandum obiter, multò frequentius solito, miseros mortales invasurum, si ventriculus juxta supposita pervius foetet meatibus aptis ad transmittenda liquida, cum ob ingluviem, heu nimis familiarem? hosce poros summo- perè distendi sæpiùs accideret.

V. Secundùm memoratam de poris & vaporibus in aquam convertendis hypothesim, vix, imò nullatenùs intelligi potest quâ ratione serosus latex aut potulentorum materies celeritùs, abundantitùs, & immutata secernantur, cum ex adverso multò minori copiâ, multò tarditùs, multòque magis ab ingestis liquidis discrepantia debeant emitti, quam ubi per consuetum



circulationis iter ad renes appellunt.

1°. Quoniam ab effluviis in aqueum humorem convertendis non modo pori ventriculi & vesicæ; verum etiam omnium partium interjectarum implentium cavitationem abdominis, & se mutuò contingentium permeandi sunt.

2°. Insigne temporis spatium desideratur, utut intensè caleant ventriculus & intestina, quo tota liquidorum ingesta moles resolvatur in vapores: ut cuilibet inferendum datur, ex cognitis & quotidianis aquarum diversi generis destillationibus.

3°. Qui vapores ex incalescente liquido jugiter secedunt, multò liberius superiora ventriculi petunt quam ejus fundum, aut moventur in omnem sensum, ut perinde minima prorsus eorundem portio versùs inferiora traducenda sit.

4°. Non minùs evidens est exilem hanc effluviarum nubem quæ ventriculi poros permeavit à plurimis obicibus occurrentibus, seu partium molibus interjectis ubique in suo cursu retardari, coerceri: sic ut & ab effluviis ex aliorum viscerum poris assiduò manantibus hûc & illûc in omnem loci differentiam impelli. Demùm & ab humido quo partium memoratarum super-



ficies oblinitur quoad maximam sui partem absorberi debeant, ita ut tardissimè nec nisi post summam particularum ex quibus memorata nubes coalescebat jacturam, ad conceptaculum urinæ tandem valeat pervenire; ubi rursus aliud illudque longissimum temporis spatium requiritur, ut transmissi vapores denuò convertantur in aqueum humorem, dato tamen, non concessio quod interaneus viscerum & vesicæ calor, hujusmodi conversionem seu condensationem fieri permittat.

5°. Demùm & ultimò necessariò sequitur ex ante dictis, hæc eadem effluvia priusquam intra vesicæ sinum admittantur, mirum in modum in transitu per cavum abdominis ab aliis omnis generis effluviis undique advenientibus alteranda: ita ut à connubio vaporum biliosorum, fœculentorum, acrium, acidorum, falsorum, non possint non impensè mutari.

Et hæc quidem præcipua sunt rationum & experimentorum momenta, quibus ad præfatam hypothesim refellendam inducti, sic eam expugnatam arbitramur, ut nullum aliud CARTESII discipulis effugium superesse possit, quam ut statuunt celerem & copiosam liquidorum per vias urinarias ex-



cretionem adscribendam esse ductibus à fundo ventriculi ad renes aut vesicam rectà protensis, & serosum laticem immutatum traducentibus.

Verum præter-quam quod novum illud suppositum mechanismo secretionum hactenus cognito, juxta superius allata repugnat, nullaque prorsus nititur demonstratione. Accedit aliundè totum hunc seu meatuum seu pororum apparatus omninò superfluum & inutilem esse; cum etsi potentia vasa sanguifera subingrediantur eorumdemque percurrant orbitam summâ tamen cum copiâ & celeritate secerni, nec non parum à seipsis ingestis discrepantia dimitti possint.

Id autem ut evidenter pateat tantisper velim attendi, quod dum more solito potantur aquæ minerales, aut Diabeticus fluxus supervenit, tum, inquam, omnia quæ requiruntur ex parte fluidorum & solidorum ad copiosam & celerrimam secretionem simul concurrere; quæ quidem quatuor numero possunt censerî, ad quæ tamquam ad præcipua capita reducuntur.

Nimirum constat 1°. Magnam in memoratis casibus liquidorum ad hujusmodi secretionem idoneorum ubertatem intra



vasa reperiri. 2°. Hæc eadem liquida à reliquorum totius massæ principiorum compedibus esse libera, seu extricata. 3°. Fluxum eorundem assiduum, celerem & copiosum ad incernicula renalia jugiter promoveri. 4°. Denique ductus secretorios renum sic esse dispositos, ut fluidum indefinenter & celeriter appellens statim, seu absque vel minimâ morulâ secernant.

Quoad primum requisitum, insignem videlicet liquidorum ad secretionem idoneorum ubertatem, eam in præfatis casibus reperiri quis inficiabitur, nam & avidè, copiosè, liberaliter & assiduò bibitur, subindeque cruda prosùs & incocta liquida debent in vasis luxuriare: sic ut omnis prope modum humorum aggeries summopere diluta in laticem aqueum convertatur, aut indolem acquirat huic plurimum analogam; nec minus ingenuè fatendum est ea quæ affatim ingeruntur potulenta, toti massæ supernatare, vel serum illud quod in sanguine luxuriat & particularum ejus sinibus immersum ope dissolutionis aut coagulationis elici, seu extricari; perindeque sui juris factum, esseque paratum ad secretionem. Primum ergò secundumque propositum ulteriori probatione non indigent.



Tertium verò quod attinet in eo demonstrando juvat diutiùs immorari, cum celeritas & abundantia secretionis ex eo præsertim perenni, continuo rapidoque fluxu liquidorum versùs incernicula vasaque renalia pendere videantur.

Sed si potulenta copiosè, liberaliter & affatim ingerantur, vel si latex aqueus prætermoðam abundet, etsi tandem hæc fluida libera sint, seu à compedibus sulphurearum & terrestrium particularum soluta, sicque vasa sero fluidissimo & expedito turgent, motum humorum in orbe circulationis celeriore continuumque futurum evidens est. Tum & ex copiâ liquidorum implentium vasa, unus & veluti continuus aquæ rivus ab eorundem initio ad extremos usque furculos scaturiet, cujus primæ in origine & subsequentes in progressu particule non poterunt impelli motibus iteratis cordis & arteriarum, quin ejusdem fluenti finis & ultimæ moleculæ propter contiguitatem pari ritu moveantur. Deinde luxuriantes assiduoque suggestæ liquidorum particule sese mutuò trudent, urgebuntque presso pede, perindeque motûs trusivi viribus auctis universa massa celerius circumducetur, tantoque faciliùs si serosus latex



ex connubio cum reliquis illius principiis sit expeditus. Sed & iterum ab eodem exundante liquido tota moles humorum fluidior reddita multò rapidiùs peragrabit vasorum orbem; hinc frequens iisdem vasibus & indefinens admovebitur stimulus, quo cum ad assiduas, crebras, alternasque contractiones adigantur, rivulos aquarum transeuntes quolibet instanti verberari, urgeri, sicque motum trusivum intendi ulteriùs subsequetur, ut tandem nemini mirum videri debeat, si tot causis in unum eundemque finem conspirantibus, continuus & celerrimus fiat ad cola fluidorum appulsus.

At præter hæc omnia rationum momenta, quæ probant evidenter fluida velociter in casibus assignatis debere circumduci. Advertendum insuper quoad potum aquarum mineralium, earumdemque promptam excretionem, matutinum diei tempus ad hujuscemodi potum destinatum, & earumdem aquarum frigiditatem, ad augendam motûs liquidorum velocitatem, symbolum suum conferre. Quæ si quidem primo diluculo potantur aquæ celeriùs ideo per vasorum orbem traducuntur. Quoniam in eo quod à vespertinâ cœnâ ad auroram exactum est temporis spatium, quæ fuerunt ultimò sump-



ta ciborum fercula , jam in sanguinem conversa sunt , aut esse debent : perindeque motuum intestinorum ad coctiones & secretiones inservientium vires resederunt ; unde fit ut advenientium aquarum rivuli minimè cum cæteris humorum massæ particulis misceantur , sed tantum supernantent , tantoque facilius , quod eadem aquæ hauriantur absque ulla miscela ciborum solidorum , nec consequenter ab iis intricari , nec in ventriculo , nec in intestinis , nec in lacteis aliisque vasis circulatoriis retineri queant , nisi fortassis adsit saburra quædam & plethora quæ trajectum impediat. Verum huic occurritur impedimento , catharticis juxta leges artis præmittendis , quorum ope , cum vasa jam depleta sint , liberior & patentior advenienti liquido via sterni debet : quibus insuper addendum est primâ diei luce propter aërem frigidiorum poros perspirationis per hosce meatus exire solitæ quadantenus occludi , subinde fluidorum in vasis contentorum molem augeri. Demum & à constricto corporis habitu , sic interanea premi ut liquidorum velocitas intendatur.

Et idcirco dicimus secundo frigiditatem aquarum mineralium , serosum laticem copiosius



copiosius & celerius ad cola determinare, quoniam partium quas alluunt internarum poros constringendo, halituum ex his manantium excretionem cohibet, sicque con- similes effectus parit jam memoratis; & revera si calidæ potentur aquæ major per incernicula cutis, minor verò per ductus renales fit secretio. Accedit insuper frigiditatis viribus & aqueorum ingestorum molibus fluidorum occurrentium motum expansivum deprimi, sic humoris aquei cum sanguine miscelam prohiberi; quo fit ut fluenti rectâ progredientis cursus turbari nequeat.

Quæ quidem hætenus dicta satis superque sufficient, ut evincatur velocitatem motûs liquidorum in casibus memoratis causarum assignatarum concursu promovendam; necdum tamen solvimus præcipuum difficultatis nodum, cum etsi moles aquea, vel incocta celerius ex suppositis impellatur, non ideò subsequatur ad renes potius quam ad cætera cola determinari: si namque fluida per innumeros propè vasorum sanguineorum, lymphaticorum & secretoriorum diremptus traduci & consequenter in totidem columnas dividi debeant, quot sunt canalium in humano corpore diverticula,



patet evidenter , quòd utcumque rapidissimo motu cieantur , tardè tamen , non autem celeriter ad renes sint perventura ; ut perinde nobis illud oneris jam incumbat , ut probetur liquidum actum summâ cum celeritate ferè totum ad renes , non autem ad cætera cola divertere.

Et ideò rursùs statuendum est magnam seu immoderatam liquidorum per urinas excretionem numquam accidere , nisi hæc duo præsertim concurrant , nimirum & abundantia liquidi apti ad secretionem , & ductuum secernentium , ut & excernentium amplitudo.

Sed si liquidum aptum ad secretionem redundet , vel succorum incoctorum proventus fiat uberior , necessario sequitur aliorum recrementorum copiam & vires imminuenda , mox ex defectu roboris & quantitatis eorundem , continget , ut minùs ubertim & lentius ad sua quæque ferantur incernicula ; quæ proinde solito minùs dilatari rariùs & remissiùs ad secretionem stimulari debent. Dum verò ductus secretorii solito minùs distenduntur , rariùsque defunguntur muneri destinato , minorem iterum quorumlibet fluidorum penum admittunt ; undè fit ut eorundem diameter evadat an-



gustior: quâ quidem angustia sensim in dies auctâ, cum causa à quâ producitur semper præsens sit, & novum assiduò sumat incrementum. Tandem vasorum secretoriorum cavitates & ingressus ferè penitùs occludi necessum est. Ex clausis autem infinitis penè meatibus innumeræ quoque excitabuntur resistentiæ, quibus advenientia liquida repellentur; ità ut versus loca liberiora, seu ad patentès & jam ampliatis ab exundante liquido ductus renales cogantur divertere. Nam sicut ex penuria aliorum recrementorum ductus eorundem secretioni destinatos angustari sequitur, sic ex adverso, propter abundantiam liquidi, crudi & incocti renum incernicula debent referari, seu in continuâ detineri dilatatione, quem admodum & humor analogus quo imbuuntur ubertim & assiduò renovari, perindèque renes ad uberiores disponi secretiones. Sicque, juxta leges hydraulicas, mechanicè demonstratur, quod tota penè quanta est liquidorum moles ad hoc incerniculum appellere, & quidem per illud celerrimè discerni debeat. Cum ubi juxta superius statuta, tot meatus occluduntur, solique propemodùm ii patent qui pertinent ad renes, circulationis orbita multò subindè brevior



evadat, & exiguo prorsus temporis intervallo fit percurrenta.

Sicque tandem omnibus supra requisitis, ad immoderatam celeremque potulentorum & serosi laticis crudi ac incocti excretionem abundè satisfactum existimantes, absque eo quod via quædam singularis extra circulationis orbem supponatur. Alias consequentias quæ ex principiis superius expositis à lectore perspicaci, sat facilè deduci possunt, omittendas censuimus, ne thesis crescat in immensum.

Verùm dato, non concessio, quod juxtà supposita nequeat adhucdùm intelligi, quo pacto tantâ cum velocitate simul & abundantia, potulenta, vel liquida cruda & incocta reddantur: non ideò quærendum foret & supponendum breve quoddam & distinctum à semitis circulationis iter ad hujusmodi Phænomenon dilucidius explicandum; cum quotidianâ constet experientia contentos & assiduò fluentes in vasis sanguiferis humores aqueos singulari quodam motûs genere excitato, simul & prætermodùm dilatatis secretoriis quibusdam ductibus, abundanter, celeriter & indefinenter eliminari.

Quarum videlicet secretionum & excre-



tionum exempla familiaria suppeditant innumeræ propè crises aut evacuationes, in morbis præsertim acutis, seu spontè, seu ope remediorum, seu quibuslibet aliis de causis evenientes, & quæ semel excitatæ per insignè temporis spatium uberrimè, celerimè & assiduò perseverant. Sic ubi propter assumptum vehemens quoddam Catharticum, aut fermentum quoddam acre tunicis intestinorum impactum, potenter vellicantur intestinorum tunicæ: perindèque serum in vasis contentum, & expeditum ad eorum glandulas continuò determinatur, tum, inquam, celeres, constantes & immodicas ejusdem serosi laticis per alvum excretiones fieri conspiciamus; sic iterùm ubi caloris cujusdam intensi viribus, vel ob summam acredinem humorum in febris malignis, & ardentibus, funditur sanguis, serumque per fusionem extricatum ad dilatata cutis secretoria amandatur, totum illud humoris aquei quod continetur in vasis, aut ab assiduò potu suggeritur, indefinenter, abundanter & celeriter per habitûs exterioris spiracula exire cernimus. Sicque tandem ubi per introductos Mercurii globulos solvitur nexus particularum sanguinem constituentium, & fit uberior serosi laticis ge-



nesis, simul & dilatantur vasa salivaria, hinc idem humor uberrimè & continuò per ductus referatos fluit & excernitur, ut si fortassis majori quam par sit dosi vel unguentum Mercuriale, vel panacæa quævis administrata fuerint, tota quanta est massa colliquata, seu in serosum laticem conversa, per hanc viam intra breve temporis spatium possit exinaniri.

Ex quibus patet evidenter omnia fluida, quæ tantâ cum ubertate & assiduò seceruntur, in vasis circulatoriis contineri, & ab iisdem suggeri. Nec mirum cum ductus omnes, tum circulatorii, tum secretorii, & consequenter humores in his jugiter agitati, fluentesque, sic inter se communicent, ut quâ proportione vasa quædam deplentur, hâc eâdem impleantur cætera: & vice versa quò plus sanguinis, spirituum & aliorum fluidorum quædam ex his admittunt, eò minùs eorundem alia recipiant; quæ quidem propter liquidorum & solidorum continuitatem momento temporis, simpliciter ob immutatas motuum determinationes ita debent accidere.

Sed de his satis cum hætenùs dicta, nostro quidem iudicio, sufficiant, ad demonstrandum poros & ductus peculiare,



feu diversos à cognitis, ad potulenta celeriter traducenda esse prorsus inutiles. Nec est aliundè cur immoremur diutiùs in explicando quo pacto absque eorundem ductuum suppositione liquida quævis licet semitas circulationis subingressa rejiciantur immutata. Si namque, propter allegata rationum momenta, nec in ventriculo, nec in intestinis, nec in vasis sanguiferis commorentur, imò potiùs præter-fluant celerimè, si brevissimum insuper itineris spatium in orbe circulatorio percurrant; et si tandem ob aquarum exundantium molem aut frigiditatem occurrentium fluidorum motûs intestini deprimantur, sicque fermentorum immutantium deficiat energia: ex his, inquam, omnibus haud difficulter intelligitur, quibus de causis potulenta, vel alia liquida rejiciantur immutata.

His ita prælibatis, quæ non mediocrem ad essentiam fluxûs Diabetici dignoscendam lucem afferent. Jam ad illius affectûs historiam juxta receptam methodum exarandam progredi juvat.

*COROLLARIUM PRIMUM*

*De Natura, & differentiis Fluxûs Diabetici.*

**D**iabetes, seu Hydrops ad matulam vulgò definitur, aut potiùs describitur



immoderatus , celer , & frequens urinæ fluxus , in quo nimirum fluidum illud coctionis expers & insipidum , interdùmque mellei saporis , seu subdulcis , & quandoque coloris albicantis particeps esse videtur : qui quidem fluxus sitim intensam , viscerum æstum & febriculam habet adjuncta ; eodemque ad certum usque gradum provecto , brevi temporis spatio siccitas , marcor , verbo , partium omnium & præsertim universi corporis habitûs colliquatio , debilitas & exarescentia succedunt.

Verùm quo clariùs & accuratiùs raræ prorsùs affectionis indoles dignoscatur , illius initia , progressum & finem juxta descriptionem *ARETÆI* , veteres inter percelebris , seu secundum varios quos in diversis sui stadiis exhibet vehementiæ gradus , sic paucis lubet exponere.

Ubi morbus est in procinctu , solitòque copiosius urina fluit , oris interiora , fauces , & palatum humoris affueti penu defraudata , sensim exarescunt , & si quæ fortassis suggeritur saliva , hæc quemadmodùm in sitibundis spumescit & albicat ; subindèque sitis , seu major liquidorum oritur appetitus , exin , ubi crescente malo , quantitas uberior urinæ funditur , bibendi cu-



piditas urget potentiùs. Calor quidam acris, velut impactus visceribus, perſentitur, & tùm corrugatur abdomen, venæ prominent, corporis habitus univerſus evadit gracilior: unde timor & anxietas, mentem novorum ſymptomatum conſideratione vehementer attonitam invadunt. Affiduò namque moleſtoque faucium & interaneorum ardore divexatus æger, ſimul & ob exeuntis præproperè liquidi diluvium ſtupens, ex æquo metuit, ne tota quanta eſt liquidorum & ſolidorum moles, in ſeroſum ſolvatur laticem. Et reverà, dum liquidum promptiùs, frequentiùs & immoderatiùs excernitur, non modò corporis habitus, ſed & ipſæmet carnoſæ partes liquantur, & contabescunt, tùmque poſtremum impendet factum, nec enim intermittit urinæ fluxus, ſed affiduò velut è canalibus omnimodè laxatis & patentibus eliminatur, cum intentiſſimâ, ſeu deurente ſiti, ſubindèque largiori potu, cujus tamen copia minimè reſpondet urinæ quantitati: cum liquida multò copioſiùs per urethram egerantur, quàm ingerantur ore, verbo, nec à potu, nec à mictione ceſſant, & ſi fortassis abſtineant tantisper à potulentis, non in dies tantùm, ſed & in horas, os, & corpus



sensibilibus exarescunt, cunctaque viscera  
 torrentur, velut ignibus admotis. Denique  
 si per exiguum temporis spatium mictum  
 cohibeant, illicò tument lumbi, testes,  
 & ilia, moxque reddita meiendi libertate,  
 partes eadem detumescunt, & tùm promp-  
 tior adhuc, & certior imminet pernicies,  
 nam ne vel minima liquidorum guttula  
 nutriendis partibus communicatur, quin  
 potiùs ipsæmet carnes in liquamen quod-  
 dam urinosum videntur abire.

Sed hæc omnia, tùm ab ARETÆO, tùm  
 ab aliis Observatoribus fide dignissimis, di-  
 ligenter in variis Diabetici fluxûs stadiis  
 animadversa, nec eundem in diversis sub-  
 jectis vehementiæ gradum, nec omninò  
 similem exhibent ubique characterem, præ-  
 fertim si lotii quantitas & indoles attentè  
 considerentur; undè proculdubiò manavit  
 ea quæ à non-nullis circumfertur divisio  
 Diabetis in veram, seu legitimam, &  
 falsam, seu spuriam. Veram esse dicunt,  
 cum immoderatiùs, promptiùs & frequen-  
 tiùs exit urina, sed ea copia quæ par sit  
 assumptis, & quoad qualitatem, saporis  
 expers, incocta, vixque mutata; aliundè  
 cum siti, calore & siccitate, non admo-  
 dùm intensè sævientibus. Falsam verò



Diabetem statuunt , ubi funditur lotium adeò copiosè , ut ingestorum molem longè superet , quodque præterea solito spissius , subdulcis aut mellei saporis , & coloris ut plurimum albicantis particeps , sitim deurentem , febrem lentam , summam virium debilitatem & marcorem horrendum habet adjuncta vel pedissequa.

Nùm verò posterior hæc species veluti gradus prioris debeat considerari , sic ut in eodem subjecto , & in variis ejusdem morbi stadiis , tum veræ , tum falsæ Diabetis signa reperiantur , vel an independenter à se mutuo subsistere , & unum eundemque tenorem seu characterem ab initiis ad extrema servare valeant , penes expertos esto judicium , ratio tamen evincit utrumque juxtà vehementiam & varietatem causarum Diabetem producentium posse contingere. Quòd si ita se habeat dissidentium de naturâ , quantitate , & qualitate fluxûs Diabetici Medicorum sententias facilè conciliari nemo non videt , simul & intelligit , ad differentias suprâ memoratas diligenter attendendum , ut affectûs curatio juxtâ diversitatem indicationum possit ordinari.



*COROLLARIUM SECUNDUM*  
*De causis tum proximis, tum remotis, fluxûs*  
*Diabetici.*

**S**ic igitur expositis iis quæ ad naturam & differentias affectûs Diabetici pertinent. Jam ordo postulat fluxûs adeò stupendi causas diligenter inquireri, cum ex harum accuratâ cognitione, remediorum ad illius curationem idoneorum notitia pendeat. Juvat autem in hac indagine, præ cæteris feligere methodum analiticam quâ nempè nulla præstantior ad investigandas detegendasque morborum, & Phænomenum in his apparentium, causas, modo eâ quâ decet, cum curâ & perspicaciâ adhibeatur. Quemadmodum ab Illustrissimo D. D. CHIRAC inclyto hujus Universitatis Professore, & Serenissimi Ducis Aurelianensis Archiatro, jam in omnibus propèmodùm ad scientiam Apollinarem pertinentibus fuit adhibita, cujus nimirum hac in parte Laboribus cedro, seu immortalitate dignis, lycæum hoc toto famigeratissimum orbe, suum quo nunc præfulget in primis debet splendorem, & cujus idcirco vestigiis inhærere plurimum gloriamur, semperque gloriabimur. Quamquam in inquirendis analyticè fluxûs Dia-



betici causis, ab illius sententiâ cogamur recedere. Statuit etenim prælaudatus Archiater in limine Theseos de Diabete publicè propugnatae, veluti præcipuum analyseos ad hujus affectûs originem detegendam instituendæ fundamentum, tantam à Diabeticis urinæ copiam effundi non posse, nisi fluidum illud excrementitium in vasis circulatoriis redundet, & cumuletur, quoniam verò liquidum urinosum ex unanimi consensu turget sale quodam falso-acri muriatico, tam volatili quàm fixo. Rectè concluditur, quod quælibet salis ad hanc indolem vergentis genesis apta nata sunt promovere, hæc eâdem veluti causas genuinas illius magnæ congestionis urinarum consideranda.

Verùm si constet ex relatu eorum qui Diabeticum fluxum diligenter observarunt, liquidum illud, quod adeò copiosè, fluit indolem urinæ nullatenus referre, nullamquè prorsus ex illius qualitatibus possidere. Neque demùm, aliud hæc duo fluida quidquam habere quo valeant invicem conferri, præter viam ad trajectum & exitum. Certè planum est analyseos prædictæ basim, & consequentias ex eâ deductas subsistere nequaquam posse. Id autem ut evincatur,



evolvenda sunt, variorum Authorum qui de Diabete tractarunt, monumenta, & præsertim Anglorum, quibus nimirum hujusmodi fluxum frequentius observare contigit. VVILLISII nempe, SYDENHAMII, LISTERI, aliorumque summæ notæ Authorum opera consulenda, in quibus constanter asseritur, humorem in Diabete per vias urinarias exeuntem ab urinis tum consistentiâ, tum odore, tum sapore, demum & colore summoperè differre. Addamus insuper, illud urinas, inter & fluidum Diabeticum discrimen, non-modo repetitis observationibus, sed & ratione comprobari, si vel leviter attendamus potulenta quælibet in Diabeticis celerius, & rapidius præterfluere, quam ut in liquamen urinosum verti queant, seu sufficientes in vasorum sinibus moras non trahere, ut salia diversi generis, quorum ope sal falso-acre muraticum efformari supponitur, requisitum ineant connubium. Deniquè si liquidum urinosum in Diabete tantâ copiâ cumularetur in vasis, indicatio præcipua, quæ statim sese offert in hujus affectûs curatione, nimirum ut fluxus immoderatus coerceatur, sine summo vitæ discrimine non posset adimpleri. Facile siquidem intelli-



gitur ex hoc urinæ fluxu sufflaminato non salutem, aut levamen ægrorum, imò potius funestum urinarum retro-pulsam in interiora corporis & consequenter certam perniciem expectanda fore. Caveant igitur initiati sacris Hygeæ, ne dum Diabetes, more solito, definitur fluxus immoderatus urinæ, vocabulum illud *urina*, juxtà nativam significationem accipiant, aliamque perindè quam ratio desideret, aut jubeat observatio, sibi fingant naturæ Diabetes ideam. Hæc etenim vox ideò tantùm adhibetur, ut indicetur humoris exeuntis via, vitatoque longiori verborum apparatu, brevior seu vulgata fervetur loquendi formula, quamquam satius fortassis foret erroris vitandi causâ, vocem illam ex Diabetes definitione cum clarissimo SYDENHAMIO penitus expungere, & unicè de succis crudis & incoctis, vel subdulcis, & mellei saporis mentionem facere.

Sed ut ad propositum revertamur, seu ad indagandam analyticè seriem causarum Diabetem producentium, ex præfatis facilè datur inferendum, quærendum statim nobis incumbere, non quâ ratione, liquor urinosus generetur & cumuletur in vasis, sed quo pacto fluida cruda, incocta,



insipida, vel succi mellei, chylosi, lymphatici, tantâ cum copiâ per vias urinarias eliminantur.

Quoniam verò illud quod primum apparet in Diabete est fluxus immoderatus, qui quidem prodire nequit, nisi urinaria vasa ad liquidum copiosius transmittendum sint disposita, de hâc transmittentium vasorum dispositione, de quâ aliundè rara, vel parva apud Authores mentio, sequentia præmittere juvat.

Ergò statim patet evidentissimè, quod ut humor crudus, seu incoctus adeò copiosè per vias urinarias trajiciatur, quod inquam, hæ viæ, quæ nimirum à glandulis, aut ductibus secretoriis renum tendunt ad vesicam, ad hujusmodi trajectum disponi debeant, seu dilatari, & ampliari; sed solitò magis dilatari nequeunt, quin liquidum quoddam assiduò parietibus earum admoveatur, iisdemque vim inferat consuetâ majorem; nec liquidum continenter parietibus admoveri, nisi fibrarum hosce constituentium textus distrahatur, laxeturque; nec deniquè fibrarum textus distrahi & laxari, quin faciliùs adhuc à fluente liquido distendatur. Ergò geminâ de causâ, nempe propter dilatationem & laxitatem  
inductas,



inductas, canales à glandulis renum ad vesicam protensi traducendis fluidis reddentur aptissimi.

Ductuum autem distentorum & laxatorum nomine, non modo qui protenduntur à glandulis secretorii communiter dicti, nec tantum papillæ renum, pelvis, & ureteres intelliguntur, sed & ipsasmet glandulas, quibus hujusmodi ductus continuâ serie sunt annexi, dilatari pariter, & laxari statuimus: siquidem analitica ratio superius adhibita, utrumque manifestè demonstrat, & adeò manifestè, ut mirum prorsus videatur, vel levem hâc de re controversiam quotidie moveri, seu quæri & expendi, nùm in profluvio Diabetico, glandulæ renales, & ductus annexi dilatentur laxenturque.

Quo circà tamen discrimen quoddam venit admittendum, inter Diabetem nondùm formatam & incipientem, provectam inter & penitùs confirmatam. Demùm, & in summo gradu positam: cùm pateat vel leviter attendentibus, dilatationis & laxitatis vasorum gradus, diversos in variis hisce temporibus esse debere. Nempè multò minores in antecessu, & initio morbi: majores autem in progressu; maximos demùm in confirmato provectoque diluvio,



propter moles liquidorum gradatim crescentes, assiduòque trajectas.

Nec interim diffitemur posse controversi, nùm antequam Diabetes invadat dilatatio, laxitasque glandularum, & ductuum renalium, præcesserint, aut præcedere debuerint. Verùm ut hæc dirimatur controversia. 1°. Temperiem nativam, aut adventitiam Diabeticorum. Deindè causas evidentes, quibus hic affectus suam debet originem. 3°. Demùm omnia quæ præcurrere signa diligenter attendi decet.

Si namque Diabeticus, antequam morbus suboriat, majorem urinarum copiam, quàm ea sit aut esse debeat, quæ in statu naturali quotidie profunditur, emittere solitus fuerit, quod ante genesis morbi ferè semper accidit, seu propter immoderatum potulentorum quorumlibet usum, seu ob assumpta diuretica: qualia sunt vina acidula, aquæ minerales, aliaque inferiùs in classe causarum evidentium memoranda; ex hac, inquam, consuetudine meiendi frequentiùs; & abundantius à quâcumque causâ pendeat, facilè datur intelligendum, ductus renales laxitatem præternaturalem & summam ad dilatationem proclivitatem ante Diabetis ortum contrahere debuisse.



Sin autem ex adverso, priusquam dilu-  
vium accidat, temperies Diabeticorum ea  
sit quæ ad traducendam ingentem hanc  
aquarum molem minimè sit disposita, quod  
ex mictione secundùm naturæ leges se ha-  
bente, potest inferri, vel si constet causas  
evidentes fluxum hunc stupendum, absquè  
ullo prævio dilatationis & laxitatis signo,  
subitò peperisse: quod sanè rarissimum ar-  
bitramur, nempè tantam hujusmodi causas  
energiam habere, ut urinaria vasa confes-  
tim, & ex improvîso valeant tantoperè  
dilatari: illud tamen, si sic evenerit, ut  
ex assumptis validioribus diureticis, vel  
ex morfu *Dipsadis*, evenisse quædam tes-  
tatur observatio. Certè fatendum est inge-  
nuè, nec dilatationem, nec laxitatem va-  
forum urinosorum Diabetis ortum anteces-  
sisse. Sed hæc vitia solidorum, ex aquarum  
subitaneo diluvio derepentè nata, juxtà  
majus vel minus illius incrementum, pariter  
crevisse: ità tamen, ut in hujusmodi casi-  
bus, incunte, crescenteque fluxu, sola di-  
latatio vasorum propter vehementes aqua-  
rum impetus arguenda sit, laxitas autem,  
tantùm in decursu; si nempè fluxus diù  
perseveraverit ob assiduum laxantis humo-  
ris appulsus, inducatur.



Sed ne quisquam nimiooperè miretur, quod de dilatatione, & laxitate vasorum urinosorum, plura quam materies primâ fronte desiderare videtur, aut vulgaris Authorum consuetudo patitur, hûc usque dixerimus. Attendamus tantisper ab hujusmodi solidorum vitiis, non modo feri tenuioris, & incocti, sed & crassioris, imò quoque chylosi, & lymphatici, quale quidem in provecta confirmataque Diabete rejicitur, introitum, sicut & trajectum immoderatos quoad maximam partem esse deducendos.

Nam à dilatatione & laxitate, minor ex parte vasorum intromittentium, & traducentium resistentia nascitur: undè fit ut facilè cedant liquidis advenientibus, quibus perindè liberior ad ingressum via sternitur. Mox ex libertate viarum, ab appulsu copiosiori liquidorum, in dies aucta, crescentibusque pari passu laxitate & dilatatione, quid mirum? Si tandem omne crassioris liquidi genus admitti, & eliminari, tumque fluxus Diabeticus ad immedicabilem promoveri gradum: & idcirco rarò prorsùs evenire constet, cum hæc summa dilatatio laxitasque quales ad chylum & lympham transmittenda requi-



runtur , nullis emendari remediis , & non nisi rarissimè valeant induci.

Nec iterùm mirabitur quisquam , adeò crebram de dilatatione & laxitate vasorum mentionem fieri , si mente recogitemus attentâ , ex hisce solidorum læsionibus , ipsamet universæ massæ vitia , quibus nempe supponitur vulgò Diabetem induci posse , quoad maximam partem sobolescere.

Nam à laxitate vasorum & glandularum , ut ex præfatis fit evidens , major subsequitur serosi laticis secretio : hinc illius defectus in sanguine , cujus idcirco particulæ tum salinæ tum sulphuræ serò diluente , & solvente destitutæ , intimiùs uniri , seu crassè fieri debent. Ergò multò majores evadent salium & sulphurum moleculæ : exin acredo & visciditas quæ propter continuum , & præproperum serosi laticis effluxum in dies intenduntur ; ab acredine verò dissolutio , à visciditate coagulatione. Rursùm à dissolutione seri lapsus , à coagulatione ejusdem expressio : proindeque serum expeditum toti massæ supernatare , & quâ datâ portâ , nempe per ductus renum dilatatos , & laxatos elabi debere. Sicque consequenter , quod erat demonstrandum , ipsamet vitia sanguinis ad pro-



ducendum fluxum Diabeticum requisita ,  
à vitiis solidorum oriri posse , non ineptâ  
prorsùs analysi comprobatur.

Cæteras consequentias , quoad sympto-  
matum apparentium in fluxu Diabetico ,  
& indicationum curativarum fontes , quæ  
similiter , nec operosius ex iisdem vasorum  
dilatatione & laxitate deduci possunt , lec-  
tori perspicaci , & attento eliciendas re-  
linquimus , ne latius extra propositum di-  
vagemur.

Sed iis omnibus nixi rationum momen-  
tis , liceat fidenter asserere , vitia solidorum  
non tantùm in Diabete , sed & in  
omni propè-modum morborum genere non  
minorem pravus fluidorum qualitatibus at-  
tentionem incurreri : interim quoque ma-  
jorem , cùm læsa solida difficiliùs vitiatis  
fluidis restituantur. Nec mirum , cùm ea  
quæ naturaliter situm & formam majori  
eum firmitate solidorum instar retinent ,  
eâdem semel amissâ , nisi difficulter resu-  
mere valeant. Dum ex adverso fluida va-  
rias in formas , vel levi negotio mutabi-  
lia multò faciliùs ad nativam recuperan-  
dam sunt disposita.

Sed de his satis , ex quibus haud diffi-  
culter potest intelligi , cur ab assuetâ me-



thodo recedentes , analyticam causarum indaginem , à solidorum priùsquam à fluidorum vitiis orsi fuerimus. Nec minùs pateat ex præfatis in Diabete fluxum immoderatum humoris incocti , nec supervenire , nec perseverare diù posse , quin urinaria vasa solitò magis ampliëntur.

Jam verò quoniam cavitates glandularum , & continuorum ductuum ab incoctis humoribus distendi nequeunt , & laxari , nisi iidem humores ostiola secretoria glandularum ingrediantur , qui quidem ingressus præviam secretionem necessariò supponit ; hinc quo ritu secernantur hujusmodi fluida , paucis exponi , series ordinis servandi desiderat.

Ergò vel à nimia pororum , seu ostiorum quibus colum instructum est dilatatione & laxitate , vel propter humorem analogum , seu consimilem humori fecernendo , & hæc eadem ostiola imbuentem implentemque , vel demùm utriusque ratione , facilis humoribus appellentibus ad interiores glandularum sinus præbetur aditus. Hi duo siquidem unicè tamquam evidentiores , seu probabiliores secretionum modi possunt assignari , dilatationem autem



& laxitatem meatuum secretoriorum hęc partes suas implere, vix potest in dubium revocari, si nimirum superiùs allegata sedulò revolvantur. Cum eadem analytica ratio quæ superiùs adhibita fuit, ad demonstrandum cavitates glandularum ab humore jugiter transeunte dilatari laxarique, hæc eadem, inquam, sicuti jam fuit indicatum, ostiola secretoria pariter à liquidis appellentibus assiduò dilatanda, laxandaque manifestè comprobet. Nec illud propositum indiget ulteriori demonstratione, si nempè concedatur ex æquo succos incoctos ad renes uberiùs appellere. Constat etenim massam humorum per arterias emulgentes ad renes delatam hujusmodi succis turgere, iisdemque à consortio cæterorum, uti probabitur infra, liberis & expeditis. Ergò de copioso liquidorum ad glandulas appulsu, non minùs constare debet. Et sic evidenter evincitur ostiola secretoria glandularum necessariò dilatanda laxandaque.

Verùm hujusmodi tum dilatatio, tum laxitas, utut desideratæ secretioni non parùm faveant, ad illud tamen officium implendum, & absolvendum, impares esse judicabuntur, si tantisper attendamus per



poros adeò patentēs & laxatos, non modò  
 crudos & incoctos humores, sed & quæli-  
 bet alia recrementa pariter traducenda,  
 perindeque necessariò modus alter secre-  
 tionis superiùs allegatus, nimirùm humor  
 analogus, ad singulares & determinatas  
 secretiones explicandas, mire prorsùs ido-  
 neus, in subsidium vocandus est. Et hu-  
 jusmodi quidem humor admittendus qui  
 juxtà receptam doctrinam, indolem hu-  
 moris secernendi, idest crudi seu incocti,  
 non autem urinosi penitùs æmuletur. At  
 vel leviter attentis fit obvium ostiola se-  
 cretoria glandularum peregrinis seu novis  
 humoribus, nec imbui, nec impelli posse,  
 nisi liquidum analogum ipsis naturaliter  
 insitum immutetur, debilitetur, aut ita  
 loco moveatur, ut quominùs advenientia  
 liquida sedem illius occupent, minimè  
 valeat præpedire: perindeque mutationis  
 hujus, debilitatis, aut loco motionis causa,  
 paucis, venit assignanda.

Quo circà verò proximum videtur, à  
 particulis aqueis in universâ massâ luxu-  
 riantibus, jugiter ad renes appellentibus,  
 & idcirco laxantibus glandularum ostiola,  
 liquidum analogum iis insitum, utut eo-  
 rundem parietibus ab ortu tenaciter im-



factum, repetitis tamen liquidorum appulsibus, tandem è sede suâ deturbari, vel ejus vires ab humore novo prædominante, sic infringi, seu indolem sic immutari, ut assueto muneri fungi nequeat.

Accedit insuper, quòd quò majores crudorum humorum copiæ congeruntur in vasis, & ad renes deferuntur, eò quoque minores urinosi feri, sicut & aliorum recrementorum genesis & appulsus fieri debeant: undè sequitur quòd minuatur, aut deficiat pabulum destinatum humori renum analogo reficiendo, ex quo defectu virium, illius energia plurimùm infirmatur; perindeque minùs habilis evadit ad resistendum assiduis, & copiosis humorum crudorum appulsibus; ità ut crebris eorumdem ictibus, indefinenter laceffitus & velut inundatus aquarum alluentium diluvio, demùm, & ob crescentem in dies pabuli consueti penuriam, ad summam reductus debilitatem, è sedibus suis vel invitus excedere, vel effœtus, seu omni penè robore destitutus, inersque cogitur evadere. Dùm interim succi crudi & incocti viribus integris instructi, novisque quolibet instanti copiis instaurati, seu è fonte jugi perennique scaturientes, vacuos, dilatatos,



laxatosque demùm meatus implent : & ideò novis consimilium humorum secretionibus reddunt aptissimos.

Sicque tandem omni conditioni , tum ad trajectum , tum ad secretionem fluidorum præternaturam , satisfactum existimantes , jam illud præsertim impendet negotii , ut undenam prodeat hic humor , qui tam abundanter ad renes appellit , eorumdemque sinus secretorios ingreditur , eâdem investigemus methodo.

Hic autem ut glandularum ostiola subeat , haud dubiè convehendus est per arterias emulgentes , è quarum finibus expansis glandulosa renum conceptacula fieri videntur : nec enim ullæ aliæ præter hæc vasa prostant viæ , quibus humor ad renes appellere queat , sed in arteriis , aliud nihil quam latex purpureus , seu sanguis , continetur : ergò sanguis arteriosus fons est unicus liquidi secernendi.

Verùm utcumque sanguis turgeat hoc humore , eodemque turgidus appellat ad ostiola renum secretoria , non ideò tamen hæc eâdem subiturus est , nisi præfatus humor è reliquorum massæ principiorum consortio liber sit & expeditus. Si namque compedibus sulphurum vinctus , seu



eorundem partibus ramosis involutus detineatur, aut terrestrium particularum sinibus immerfus hæreat, vel cum cæteris massæ moleculis, quomodocumque confundantur. Certè planum est sic abditum, intricatum, & immersum, non nisi difficulter, & ægerrimè meatus secretorios ingressurum: undè luce meridianâ clariùs evincitur humorem secernendum liberum, expeditum, & ad ingressum paratissimum esse debere; perindeque quo pacto serum extricetur è sinu massæ, vel eidem supernatet paucis exponendum.

Ergò nequit humor reticulis sulphureis antea vinctus ex his sese expedire, nisi vinculorum hujusmodi nexus solvatur, nec idem, terrestrium particularum sinibus immerfus, ex iisdem emergere, nisi terrena conterantur, & diffringantur ergastula, nec ex utrorumque loculamentis exprimi, nisi hæc eâdem, juxtâ receptam doctrinam, in arctum compellantur seu angustentur: neque rursùs possunt liquida constanter & celeriter certum sequi tramitem, & motu progressivo, rapidè, sicut in Diabete, ferri, si motionis intestinæ seu effervescentiæ viribus assiduò confundantur. Verbo dicam, juxtâ receptas loquendi formulas, vel se-



rosam laticem è sinu massæ propter dissolutionem elabi, vel ab eodem exprimi propter coagulationem: & idcirco solutis aut coagulatis particulis, ita supernatare, ut liber & impermixtus per poros secretorios patentis laxatosque extrà circulationis orbem amandari queat.

Verùm in hoc præcipuè, difficultatis cardo vertitur, an serum propter dissolutionem effluat, vel ratione coagulationis exprimatur, cujus certè nodi solutionem, non adeò facilem judicabit, quilibet attendet ad vim argumentorum in utramque partem militantium: hinc etenim est quod Authores iique summæ notæ, in varias abierint sententias; ità tamen ut horum plurimi dissolutionem, seu ut eorum vocibus utar, colliquationem, cæteri verò coagulationem arguant.

Prioris namque seu dissolutionis certa manifesta que dare videntur indicia. I. Fluxus immoderatus quantitatem assumptorum longè superans; hæc etenim ingens feri copia, aliundè magnâ cum celeritate secreta, summam humorum fluxilitatem, fluxilitas autem eorundem insignem agitationem; agitatio demùm pedissequam dissolutionem indicant.



II. Sapor melleus , & color albicans , qui si fidendum sit Authorum observationibus , non infrequenter in seroso latice Diabeticorum percipiuntur , & adscribuntur communiter chylo vel lymphæ , cum hoc eodem sero mixtis & confusis , ejusdem haud dubiè dissolutionis prædictæ sunt effecta ; siquidem chylus & lymphæ in statu naturali sero crassiora sunt , nec consequenter per oscula renalium ductuum , utut solito magis patentia secerni queunt , nisi particularum ex quibus constant , majores & crassiores moleculæ summoperè dividantur & tenuentur. Nec hæ dividi , tenuarique sine dissolutione.

III. Vehementer sitiunt , æstuant , ardent , & intra brevè temporis spatium exsiccantur Diabetici : quæ quidem symptomata massam sanguinis universam calefieri & effervesce ; subindè liquari lympham , pinguedinem fundi , succos alibiles & humidum omne resolvi , verbo magnam promptamque colliquationem , seu dissolutionem fieri , satis apertè declarant.

IV. Nec minùs manifestè dissolutionis labem in Diabete liquidis inustam esse colligitur , ex causarum evidentium consideratione : cùm ex Authorum fide dignissi-



morum observationibus , hic fluxus febribus ardentibus , aliisque morbis acutis qui calorem intensum habent adjunctum , interim superveniat. Cùm ut plurimum oriatur ab esu salitorum , acrium , piperatorum , ut & immoderato spiritus vini & liquorum ardentium potu ; cùm non rarò vinis arsenici mixtura , vel fumo sulphuris alteratis , & medicatis diversimodè , natales suos debeat ; cùm insuper inducatur à Balsamicis Therebentinatis , & Opiatis. Cùm denique post assumptas aquas muriaticas , salinas , sulphureas , metallicis , & igneis particulis turgidas emergat : hæc etenim & similia sanguinem ex omnium consensu fundunt , liquant , seu dissolvunt.

V. Demùm & ultimò , liquatum pariter in Diabete seu dissolutum sanguinis textum , evidentissimè patefaciunt. Quorundam Diabeticorum curationes , propter lenientium , edulcorantium , incrassantium , compingentium , seu lacticiniorum , mucilaginosorum & adstringentium usum ex voto succedentes : horum etenim ope permulti vel integrè curati , vel non exiguum , affectu sæviente levamen senserunt Diabetici.

Et hæc quidem argumenta , quibus præ-



sens humorum in Diabete dissolutio designatur, nudè licet, & simpliciter exposita, sic in omnium oculos incurrere possunt, ut nostro quidem iudicio, parum egeant longiori ratiōisq̃, seu quod idem est, analytico verborum circuitu, quo vis eorundem in evidentiore lucem proferatur.

Jam igitur in medium adducamus ea quæ demonstrant Diabetem à sanguinis coagulatione pendere, quæ quoniam nec minùs perspicua, nec intellectui rudiorum minùs jam allegatis sunt accommodata, eâdem quoque cum brevitate & simplicitate debent exponi.

1°. Coagulatum in fluxu Diabetico seu crassifactum viscidumque sanguinem esse, satis evidenter conjicitur, ex eo quod, is qui tam copiosè & celeriter excernitur humor crudus, incoctus, insipidus, demùm & pellucidus frequenter appareat: cruditas enim, insipiditas & pelluciditas defectum fermentationis, divisionis, attritus, macerationis, & miscelæ particularum fluidi necessariò supponunt. Cùm ex adverso si viribus intensæ fermentationis massa solvatur, & consequenter fiat omnium liquidorum confusio, planum sit illud quod ab eâdem massa fluit, exitque per  
vias



vias urinarias turbidum, lutulentum, salinum, acre-sulphureum, terrenum, verbo, particulis omnigenis onustum esse debere.

2<sup>um</sup>. Ad coagulationem in Diabete demonstrandam argumentum petitur, ex causarum procatharticarum notitiâ, cum hic fluxus frequentius accidat in frigidis regionibus ad Septentrionem vergentibus, in quibus aër & alimenta crassiora sunt, & aliundè frequenter invadat temperiem melancholicam, in quâ sanguis viscidus, terrestris, siccus, sale & sulphure crassiori foetus, seu resinofus statuitur. Accedit, ab epotis aquis acidulis & vino ejusdem indolis liberaliùs ebibito, sicut & à ventriculi vasorumque tono propter ingluviem cibi, potûsque summoperè debilitatis, & consequenter à frigidis, resinosis, acidis, crudis, verbo, coagulatis humoribus fluxum hunc aliquoties ortum sumpsisse.

3<sup>o</sup>. Febris absentia, vel febricula in Diabete superveniens, sanguinem non nisi tardè, lentè, difficulter agitari, moveri: subindèque crassas potius & viscidas illius moleculas, quam divisas tenues & solutas indicant.

4<sup>o</sup>. Denique constat ex variis observa-



tionibus, cardiaca, reficientia, martialia, & fale volatili oleoso turgida, plurimis Diabeticis non parùm profuisse: quæ quidem summam potiùs inferrent noxam, si fale falso-acri fundente, liquante, solven- teque, massa constanter luxuriaret.

His igitur & similibus rationum & experimentorum momentis, sanguinem in Diabete coagulari potiùs quam dissolvi statuitur, illudque coagulationis genus confertur, modò cum lacte per affusionem acidorum inspissato, sic ut subsidente & arctiùs unita crassiori parte, serum exprimatur, & supernatet, modo verò cum glutine ad medias cocto, & cum aqueis immiscibili, aliàs demùm cum resina consortium aquæ respuente turgidaque tamen particulis salino-sulphureis, quæ cum insensili motu jugiter agitentur, & humido deficiente, tandem accendantur, sitim ingentem, calorem igneum, viscerum ardorem, marcorem horrendum, aliaque id genus symptomata, absque ullo dissolutionis subsidio valent producere.

Jam ergò patet ex præfatis, argumenta non minoris ponderis ad coagulationem, quàm ad dissolutionem in medium proferri, & utramque sententiam fulciri gravissimis



rationum, & experimentorum momentis, quibus ritè penitùsque perspectis, nihil haud dubiè sanæ mentis legibus consentaneum magis videbitur, quàm ut statuatur serosum laticem è sinu massæ propter utrumque, tùm dissolutionis, tùm coagulationis vitium, effluere posse. Sic ut juxtà varietatem temperierum, & causarum evidentium, nunc à liquefacto, nunc ab inspissato sanguine, & interdum ab utraque pravâ qualitate conjunctim agente: sæpiùs tamen à colliquatione fluxûs Diabeticus oriatur; aliundè probè persuasi, clarissimos artis Proceres, in varias, hâc de re, partes ideò secessisse, quòd Diabetis, & in variis subjectis, & in eodem individuo differentias non satis attentè perpenderit; sed ex peculiaribus quibusdam observationibus, aliorum experimentorum spretis aut neglectis, systema suum stabiliri, fingique posse, crediderint. Si namque contulissent ex æquo varias Diabeticorum historias, in monumentis Authorum fideliter exaratas: simul & seriò considerassent summum illud discrimen, quod in diversis Diabeticis ratione quantitatis, & qualitatis humorum excretorum à viris perspicacibus fuit observatum, magnamque diversitatem, quoad tempera-



menta, causas evidentes, eventus, & symptomata, denique varios hujus affectûs in invadendo, crescendo, sæviendo, desinendoque modos diligenter expendissent: ex his, inquam, omnibus accuratè exploratis, haud dubiè pervidissent fluxum Diabeticum, non unam & eandem in diversis subjectis indolem exhibere; imò variam interdum in uno eodemque Diabetico, & in diversis morbi temporibus faciem præferre; subindèque multiplicem causam immediatam admittendam censuissent.

Hinc igitur est, quod nunc dissolutionem, modò verò coagulationem: priorem tamen frequentius, & interim utramque simul, in Diabete suas ad tantam seri copiam suggerendam conferre vires arbitremur; ità ut ex hisce pravis qualitatibus, alterutra fluxûs ortum antecedere, vel jam excitatum fovere possit & intendere; interim ambo se mutuò excipere; modò denique junctis unà viribus agere valeant. Quamquam verò proximum est, quod ubi fluxus fit immoderatio, & symptomata supervenientia prætermo- dum augmentur, colli- quationem humorum, eorumdem coagu- lationi plurimum prævalere. Dùm ex ad- versò si recens adhuc sit morbus, si quan-



titas exeuntis humoris non multum superet copiam assumpti, si liquidum crudum, pellucidum, & insipidum excernatur, si denique sitis, calor & ardor non admodum urgeant, & spissitudinis causæ præcesserint, coagulationem potius arguendam censemus.

Horum autem veritas & demonstratio, non tantum ex argumentis superius allatis, seu ex varietate fluxûs, causarum ejus evidentium, symptomatum & eventuum eruenda venit, sed & ex consideratione particularum diversi generis, quibus in hoc statu morbofo sanguis propter ingluviem cibi, potûsque, diversæ pariter indolis potest turgere. Paucissimi siquidem, ne dicam, nulli mortalium, in Diabetem, sicut in alios morbos incidentium, adeò simplici genere victûs usi sunt, ut adveniente ægritudine corpuscula diversæ naturæ, seu acidum, alkali, simul & glutinosum accusare nobis non liceat. Ità ut certum sit massam humorum in Diabeticis, principiis, ut ita dicam, omnigenis luxuriare, quorum alia ratione summæ mobilitatis, & naturæ præfervidæ, tenuare, solvere, & liquare valent, dum cætera fixiora, viscidiora, & idcirco minùs mobilia, divisioni suæ resistunt, imò si tenuiora & flu-



xiliora dissipentur , majorem adhuc crassitiam debent adipisci. Sicque tandem ex præfatis , duplicis serosi laticis scaturiginis , nimirum coagulationis & dissolutionis ratio patescit.

Ex quibus pariter datur intelligendum , cur Diabetes communiter Hydrops ad matulam appelletur , ductâ procul dubiò , utriusque affectûs comparatione à communibus aquarum exundantium scaturiginibus , quas similiter in Hydropicis , tum coagulationem , tum dissolutionem sanguinis esse unanimiter statuitur , quasi nullum aliud discrimen inter utrumque morbum intersit , quàm quod aquæ luxuriantes in Hydrope colligantur intus , in Diabete verò exiùs effundantur , sed ex iisdem fontibus utrobique prodeunt ; & in eo mirè prorsus Hydrops & Diabetes videntur convenire , licet fatendum sit ingenuè , quod in hoc posteriori morbo fontes aquarum multò sint uberiores , undè fit ut velociùs , & vehementiùs Diabetes ut plurimum tempora sua percurrat , & in majus multò discrimen conjiciat ægotantem , simul & ex eo potest intelligi , cur Diabetes Hydrope rariùs generari , tum & rarissimè valeat persanari.



Jam verò quod attinet diversum modum quo sanguis in Diabete liquari vel coagulari valet, hic certè vix potest determinari, cum insensibiles salium & sulphurum à quibus inducuntur hujuscemodi vitia particulæ sub sensus minimè cadant, nec alia quædam in tantâ caligine lux affulgeat, quàm quæ petitur ex vulgatis & familiaribus exemplis mixtorum, quorum alia ab affusis acidis instar lactis, vel propter visciditatem, aut siccitatem in modum glutinis, aut resinæ inspissantur: alia verò fervoris, percussio- nis, aut luxuriantis liquidi viribus dissol- vuntur.

Quas equidem coagulationum & dissolu- tionum species juxtâ diversitatem princi- piorum massæ, & causarum in eandem agentium, modò seorsim, nunc verò con- junctim in Diabete generari posse cen- semus: etsi dum attentius consideratur in- doles symptomatum veram & confirmatam Diabetem communiter stipantium, nimi- rum sitis, caloris & siccitatis vehementia; dicendum potiùs & statuendum videatur coagulationem Diabeticam ad naturam æs- tuantis resinæ, vel glutinis ad medias cocti, quàm lactis ex affusis acidis inspissati pro- priùs | vergere. Dissolutionem autem ex



adversò sæpiùs ab humidis exundantibus & laxantibus , quàm à percutientibus induci : sic ut fluxus immoderatus multò magis à laxato nexu particularum , quàm ab eodem cum impetu soluto , pendeat. Idque potissimum infertur , tùm ex immoderato liquidorum potu , Diabetis ortum , ut plurimum præcedente & comitante , tùm ex absentia febris , aut levi tantùm febriculâ , quæ remissum fermentationis genus supponit. Demùm & ex humoribus excretis , crudis , incoctis , pellucidis , fervoris defectum & laxitatem indicantibus.

Ubi tamen non levem statim controversiam moveri posse cernimus , utpotè quod humidum laxans solvensque particularum nexus , sensim tantùm agere queat , nec consequenter omni conditioni requisitæ satisfacit , cum fluxus Diabeticus non infrequenter accidat subito , sicque causam confestim solventem desideret , quæ quidem in allato laxantium casu vix potest assignari : nisi supponatur quoddam velut aquarum diluvium , quo tota massa sic derepente perfundatur , ut causas cohæsionis particularum inter se nullâ prorsùs interpositâ morâ , vincat aut debilitet , sed Diabetes interim excitatur , quin adsint ulla præcedentis dilu-



vii signa : Ergò memoratus dissolutionis per laxantia modus in fluxu Diabetico nequit admitti.

At si tantisper attendamus sanguinem Diabeticorum, sic ferè semper esse prædispositum, ut crudis seu incoctis particulis luxuriet, quæ nimirum hæterogeneitatis & molis ratione parùm firmiter inter se cohærent, & quæ propter debilitatum vasorum elaterem, simul & infirmatam fermentorum energiam, ad intimos contactus, mutuosque subingressus adigi nequeunt, in hoc inquam, statu massæ sanguinæ, dum adeò laxa sunt vincula, particulas ejus nectentia, certè nec magni, nec vehementes desiderantur causarum supervenientium impetus : sed vires admodùm leves, nisusque prorsùs exigui requiruntur, ut subitaneus accidat particularum liquidi secessus, sicque serosæ, lymphaticæ, chylosæque partes à solito connubio liberentur.

Verùm hæc dubiò procul sufficient de causis proximis, & remotis, licet alia non pauca, jam præfatis adhucdum subjungi posse videantur. Sed cum de vitiis fluidorum respectu curationis, nihil aliud scitu necessarium habendum sit, præter ea quæ superiùs accuratè satis discussimus & statui-



mus, his ulteriùs prosequendis juvat superfedere, nec ad ea dilucidius demonstranda methodum analyticam in prægressis adhibitam, ulteriùs in subsidium advocare necessarium duximus: si namque præfata rationum, & observationum momenta eo quo par est modò ponderentur, opinionis nostræ de vitiis fluidorum in Diabete fundamenta, absque verboso analyseos apparatu facilè possunt introspecti.

Nec iterùm plura de causis evidentibus addere consilium est: cum ex iisdem pariter quæ superiùs adversùs ordinis consueti leges interserenda fuerunt, ut quid sentiamus de causis immediatis faciliùs innotesceret; ex his, inquam, hujusmodi causarum remotarum, & evidentium numerus, indoles, & agendi modus, vel leviter attentis patefiant.

### COROLLARIUM TERTIUM

*De præcipuis symptomatis Fluxûs Diabetici.*

**E**Rgò dicendorum series jam exoptulat ut exponatur præcipuorum morbi symptomatum ratio, quæ quidem non admodùm operosè ex prælibatis deduci possunt: nec etenim magna mentis perspicacia deside-



ratur, ut intelligamus quâ fiat, ut ex tot  
 hactenùs assignatis causarum remotarum &  
 proximarum speciebus, quarum plures, non  
 infrequenter junctis agunt viribus, nimi-  
 rùm ex coagulato glutinis instar, aut re-  
 sinæ, vel soluto fervidoque sanguine; sub-  
 indèque serosis, lymphaticis, & chylofis  
 humoribus per patentes laxatasque vias uri-  
 narias exeuntibus, & consequenter in sinu  
 massæ deficientibus, quâ fiat, inquam, his  
 suppositis, ut sitis intensa, calor ingens,  
 urens febricula, debilitas metuenda, de-  
 mùm & horrendus marcor, aliaque id ge-  
 nus subsequantur.

Verùm tamen summam inter cætera  
 mœretur attentionem, insignis hæc & acer-  
 bissima sitis, quæ frequenter fluxum Dia-  
 beticum antecedit, cum eo saltem perpe-  
 tuò suboritur, pari cum ipso passu, cres-  
 cens & incedens, demùm & ab ortu ad  
 ultimum usque morbi finem indefinenter  
 sæviens.

Dicimus statim Diabeticos antequam in  
 morbum incidant, ferè semper esse siticu-  
 losos, quod sanè non exiguâ dignum ani-  
 madversione: quoniam illud symptoma, eo  
 sub aspectu consideratum, non tam affectus  
 morbi quàm ejusdem causa censeretur;



dùm videlicet fitis ad promiscuos omnis generis potus quotidie sorbendos volentes, vel nolentes adigens, solidorum & liquidorum insignibus vitiis, superiùs expositis anſam præbet.

Hæc autem fitis antecedens, haud dubiè nascitur ex pravâ consuetudine ingerendi promiscuè edulia omnis generis acria, salita, acida, glaciata, tum & potulenta diversæ naturæ, non modò, dùm cibus ad vitam sustinendam, ex instituto, sumendus est: sed & in variis tum diurnis, tum nocturnis computationibus; quibus nempè magna pars mortalium, seu voluptatis causa, seu ad impinguandum corporis habitum, coloremque faciei vividiorum gerendum, seu demùm ad sedandas inertis, incompositæ mœstæque mentis perturbationes, heu nimiùm indulget.

Sed utcumque non diffiteamur ab eduliis, potulentisque sapidioribus palatum statim titillari, mox animam quodam lætitiæ sensu perfundi, imò cutem interdùm pinguiorem, & floridiorem evadere. Certè nec minùs ingenuè fateri cogimur, quod ex hâc ingluvie, pravaque bibendi sine modo consuetudine, præprimis suboriantur fervores humorum immoderati, quos



necessario diversi generis dissolutiones, & coagulationes juxta varietatem temperierum, & ingestorum subsequuntur: ex fervoribus autem & coagulationibus acredo, visciditas & aciditas liquidorum sobolescunt; ex his saliva particeps earumdem qualitatum & consequenter æstus, siccitates oris, & irritamenta faucium, verbo molesta sensatio quæ sitis nuncupatur, & quâ vel invitè ad intempestivos, nocivosque potus iterandos adigimur; ex quibus iterum eisdem effectus, sed intensiores multò manare sic necessum; sicque sitis, ingluvies & compotatio se mutuò fovent & intendunt, demùm & ad eum usque gradum promoventur, ut vel ex levi rerum non-naturalium abusu, vel ex præternaturalium accessu, partes solidæ, fluidæque, tot hætenus insultibus concussæ lædantur insigniter; undè non modò Diabetem, sed & infinita penè morborum genera, pro vario læsionis modò scaturire datur intelligendum.

Nam iterum ex hæc antecedente siti, subindèque potibus assiduis & immoderatis, fit ut exundantibus undequaque liquidis contentorum in vasis fluidorum compages solvatur, debilitentur solidorum elateria,



fermentorum omnium infirmetur energia, tum & recrementorum quorumlibet generatio præpediatur: sed si solvantur, diluantur, & immergantur fluidorum & fermentorum moleculæ, laxeturque vasorum digerentium tonus; certè quælibet assumuntur edulia cruda prorsus & incocta remanebunt; succorum autem crudorum & summo perè dilutorum illuvie ductus, & glandulæ renum debent dilatari, laxari, locoque pelli humores analogi. Ergò succedent eorundem humorum incoctorum secretiones & excretiones immoderatae, seu fluxus Diabeticus superveniet: cujus idcirco sitis antecedens tamquam præcipua causa debet agnosci; hunc verò fluxum deindè nova sitis priori multò vehementior subsequitur, quæ tum non amplius causæ sed symptomatis considerationem promærebitur.

Hujus autem novæ sitis ortus & vehementia, dubiò procul hisce pariter novis & immoderatis humoris excretionibus est adscribenda: quarum ratione fit, ut salivæ non minùs ac cæterorum recrementorum materies in vasis deficiat, simul & ea quæ remanent liquida visciditatem contrahant; hinc igitur, novæ palati, faucium siccita-



tes, & irritationes, conſequenter ſitis intenſior, moxque potus immoderatioꝝ; unde rursùs eâdem quæ ſuperiùs recensita vitiorum genera, ſed vehementiora. Sicque tandem cur in Diabete ſitis modò cauſæ, nunc verò ſymptomatis rationem habeat, ſatis apertè demonſtratur.

Nec magis operoſè, vel perſpicuè minùs ex iisdem principiis cæterorum ſymptomatum explicatio poteſt elici. Si namque ſemper ſitiant bibantque Diabetici, ſi vaſorum, & fibrarum motricium elateria idcirco debilitentur, fermentorum naturalium minuatur energia, ſucci cumulentur incocti, crasceſcat, aut liquetur maſſa, ſi denique ſerum foras amandetur. Ex his, inquam, haud dubiè non una ſed multiplex caloris, ardoris, anxietatis, debilitatis, febriculæ, funeſtique marcoris cauſa deducetur, cum vel unicus ſeroſi laticis fluxus immoderatus, his omnibus pravis effectis pariendis ſufficiat: liquidis enim ſic exeuntibus, perindeque deficientibus in orbita vaſorum, evidens eſt univerſam maſſam difficiliùs multò per eâdem vaſa debere circumduci, hinc ejuſdem in Capillaribus mora, ex quâ calor, ardor, anxietas, & febricula facilè ſoboleſcunt. Cæteras con-



sequentias quæ possunt vel à rudioribus, seu leviter in Physiologiâ versatis, ex iisdem suppositis inferri, consultò prætermittimus, ne videlicet hæc nostra Dissertatio producat in immensum. Cùm aliundè nemini mirum videri debeat Diabeticos, in hoc misero prorsùs rerum statu debilitari, marcescere, consumi, dùm ob liquidorum & solidorum vitia toties memorata, simul & stupendum humoris effluxum, nec succi nutritii, nec spiritus generari, nec utcumque geniti deficiente vehiculo distribui queant, aut si qui succi generentur & distribuuntur, hi propter æstum & acridinem ad consumenda potius liquandaque quæ supersunt, quam ad eadem nutrienda roborandaque apti debeant esse.

*COROLLARIUM QUARTUM*  
*De prognosi Fluxûs Diabetici.*

**E**Rgò ulteriori symptomatum explanationi supersedentes, jam ad prognosim instituendam accedamus. Et statim ab eo quod primùm apparet, seu Diabetis essentiam constituit sumentes exordium, nimirùm ab immoderato, celerique serosilaticis effluxu, patet ex eodem summum  
Diabeticis



Diabeticis imminere vitæ periculum , cum tantâ nequeat è vasis urinariis exire liquorum copia , quin eorundem consueto penu quælibet tùm solidæ , tùm fluidæ corporis partes defraudentur , nec iisdem solidæ fluidæque partes defraudari , quin omnes motus tùm naturales , tùm voluntarii à perenni fluidorum circuitu , æquali distributione , debitâque miscelâ pendentibus , summoperè lædantur aut pervertantur. Ergò vel ob unicum immoderatum liquorum exitum magnum Diabeticis impendet discrimen , illudque proculdubiò tantò majus , quantò major erit humorum exeuntium abundantia.

Rursùs ex eodem immoderato fluxu summum , juxtà superiùs statuta , tùm solidorum , tùm fluidorum vitium arguitur , nempe laxitatis , dilatationis , debilitatiqueductuum trajicientium elaterii , ut & coagulationis , vel dissolutionis massæ sanguineæ , vel utriusque ; ità ut pro variâ fluxûs magnitudine & frequentia , depravationum harumce gradus , & consequenter periculi magnitudo præfagiri possint. Ubi notandum obiter quod si præfata vitia in variis Hydropum speciebus rarò prorsùs emendentur , & ideò tantoperè sint metuenda,



quantò rariùs in Diabete valeant emendari in quâ multò major moles aquarum è sinu vasorum erumpit, quantòque magis hic morbus timendus sit nemo non videt.

III. Quo magnum in quo Diabetici versantur discrimen, evidentiùs innotescat, non modò fluxûs abundantiam, sed humoris exeuntis indolem attendi decet. Si namque quod excernitur subdulcem, melleum, lacteumque saporem, simul & albicantem colorem referat, sicque pateat non modò crudos & incoctos humores, sed chylum, lympham & pinguedinem quibus corpus reficitur, alitur, roboratur è vasorum sinibus amandari, certè summam virium debilitatem, marcorem horrendum, lethalem denique tabem inducenda, liquidò demonstratur.

IV. Tùm ex causis antecedentibus, tùm ex temperie Diabeticorum, varia quoque præfagia ducenda sunt: si nempe causæ Procatharticae magnarum sint virium, aut indolis deleteria; si fluxûs immoderatus ægrotantes jam præcedenti quodam acutoque morbo propè-modùm exhaustos adoriatur; si magnos & diuturnos errores in regimine vitæ commiserit; si Diabeticus à parentibus infirmis ortum duxerit, idem-



que debili prorsùs constitutione sic præditus ; si variis affectibus renum & vesicæ jam fuerit obnoxius ; & si tandem in antecessu morbi propter motus corporis, aut mentis immoderatos ; fractus elumbis ad summam denique debilitatem redactus videatur. Certè nullam, aut exiguam prorsùs salutis spem superesse facilè quivis pervidebit.

V. Demùm & ultimò , quo summi discriminis imminentis ex Diabetico fluxu ratio certiùs adhuc & meliùs intelligatur, diligenter debet animadverti , quod hic affectus instar Hydropis non ab uno tantùm eodemque malla sanguinæ vitio, scilicet à coagulatione vel dissolutione , sed ab utrisque conjunctim sese mutuò foventibus , aut excipientibus ut plurimùm pendeat : undè nascitur indicationum curativarum contrarietas ; sic ut ex his uni vix possit satisfieri , quin alteri noceatur , perindeque vel ipsorummet artis præsidiorum, utut prudenter adhibitorum effectus , aut inutiles futuri sunt aut non parum mutuendi.

Quibus insuper addendum est , quod nec varii , tùm dissolutionis , tùm coagulationis modi quorum ratione fit ut serum è sinu sanguinis exprimatur simul & adveniens



humor cum cæteris , massæ particulis misceri nequeat , quod , inquam , harum coagulationum , aut dissolutionum species nec dignoscantur , nec à perspicacioribus dignosci valeant : undè sequitur generica tantùm remedia posse præscribi, quæ singulari læsionis speciei morbum immediatè producenti corrigendæ sæpè sunt imparia , ut perindè causarum & modorum coagulationis & dissolutionis emendationes, à solius propemodùm naturæ viribus sperari debeant , quæ certè vires cum abundantia fluxûs instanti quolibet exhauriantur , aut prægressis erroribus jam ferè penitùs sint exhaustæ , quid mirum ! Artis , & naturæ præsiidiis penè destitutum , Diabeticum tandem exsuccum & consumptum ultimi fati necessitatem subire , aut saltem in maximo versari vitæ discrimine.

Absit interim , ut ex his inferatur Diabete laborantes miseræ suæ sorti velut in casu desperato penitùs relinquendos , quinimò quò circumfidentur urgentiori periculo eò quoque diligentius & attentius ipsis succurri , tum humanitatis , tum scientiæ leges desiderant. Cum aliundè constet ex variis Authorum observationibus non-nullos ex hoc aquarum diluvio feliciter eva-



fisse, dum nempe nativa corporis tempe-  
 ries, firmitudinis & vigoris quædam ad-  
 hucdum indicia præbet, nec partium in-  
 ternarum robur, seu ægritudinis cujusdam  
 præcedentis vehementia, seu pravi regi-  
 minis malignitate prorsus consumptum est,  
 nec aliundè fluxus ad majorem ultimum-  
 que gradum pervenit: dum denique variæ  
 quæ sese offerunt indicationes adeò sibi  
 invicem non opponuntur, ut ex his præ-  
 cipuam implere liceat, quin alteri sum-  
 moperè noceatur; in his, inquam, & si-  
 milibus rerum circumstantiis planum est  
 non levem salutis spem affulgere, cuncta-  
 que diligenter tentanda quo Diabetici li-  
 berentur ab imminente periculo.

*COROLLARIUM QUINTUM*  
*De Therapeiâ Fluxûs Diabetici.*

**Q**Uapropter ad convenientem meden-  
 di methodum exarandam jam acce-  
 dentes, illud præsertim hâc in parte ne-  
 gotii nobis videtur incumbere, ut juxtâ  
 quæstionem in limine Theseos propositam  
 demonstraretur ad sanandam Diabetem, non  
 unum, sed multiplex remedii genus adhi-  
 bendum, quod equidem si præfata superius



in animum sedulò revocentur, nec arduum, imò nec difficultatem vel levem faciscere videbitur.

Si nempè tantisper attendamus, uti jam fusè probatum fuit fluxum Diabeticum, non ab unâ sed multiplici causâ pendere, variamque prorsùs in variis subjectis, imò in uno eodemque individuo, sed in diversis morbi temporibus præferre faciem, quatenùs vel ab acidis, vel ab acribus, aut à falsis, interim à viscidis & glutinosis, nunc seorsim, sæpiùs verò conjunctim in eâdem massa luxuriantibus & agentibus, inducatur: undè fit, ut sanguis coaguletur, modò verò dissolvatur, & interdum utroque vitii genere depravetur. Deindè verò, si seriò cogitemus, hæc varia causarum genera, juxtâ varietatem temperierum, subjectorum, victûs regiminis, & in variis morbi stadiis, diversimodè prorsùs agere: sic ut exindè fluxûs non modò major aut minor, frequentior aut rarior, tardior aut celerior, verùm etiam quoad humoris exeuntis indolem dissimilis appareat; ex his, inquam, probè perpensis, absque ulteriori demonstratione facilè cuivis intelligendum dabitur Diabetem, non uno tantùm, sed multiplici remediorum genere



sanari posse, cum ex diversitate causarum, symptomatum & temperierum, summa subnascatur indicationum varietas, quæ diversam necessariò medendi methodum desiderat.

Quamquam ingenuè fatendum sit quod ubi fluxus Diabeticus ad summum incrementi vigorisque gradum pervenit, ità ut humor qui jugiter excernitur ad stupendam penè mensuram, magnâque prorsùs exeat cum celeritate, nec tantùm crudus, incoctus, pellucidus, sed & lymphaticus, chylosus, pinguisque succus effluat, tùm, inquam, unicam ferè sese offerre indicationem, cum si fluxus hujusmodi tantisper perseveret ultimum immineat vitæ discrimen, seu de subitanea lethaliqve virium dejectione timendum sit. In hoc ergò misero prorsùs rerum statu, etsi verosimile videatur fluxum Diabeticum ex diversis causis natalitia sua sumpsisse, cum tamen præsens diluvium intensam universæ massæ colliquationem magnamque laxitatem ductuum arguat: tunc iterùm atque iterùm urgentiori succurrendum est, omniaque præsidiorum genera, quam citissimè sunt adhibenda, ut fluxus immoderatus coerceatur, mutuendæque dissolutionis progressus possit cohiberi.



Verùm nec omnes qui sese offerunt Diabetici in eo lugendo prorsùs statu sunt constituti, ut propter abundantiam fluxus, jam propè perituri sint, & aliundè, cùm morbus ad eum vehementiæ gradum pro- vectus est: certè rem planè desperatam arbitramur; nec inter varias ab Autho- ribus relatas observationes, quempiam ex Diabeticis sic affectis, evasisse legimus.

Dùm itaque varias indicationes in sa- nandâ Diabete sese offerre, & idcirco di- versi generis remedia competere statuimus, illud hauddubiè de Diabete sanabili, seu in quâ juxtâ diversitatem causarum meden- di methodum licet ordinare, debet intelligi.

Ergò jam propiùs ad rem accedentes, ut cura Diabetis ex voto succedat, non modo fluxûs, sed & causarum evidentium & symptomatum indoles, sicut & tempe- ries ægrotantium sedulò debent expendi. Si namque crudus, incoctus, insipidus, pellucidus humor per vias urinarias excer- natur, nec ejus copia, licet naturali multò major tamen mensuram assumptorum adeò superat, ut metuendum sit ratione quan- titatis, vires intra breve temporis spatium dejectum iri. Deindè verò si constet ex disquisitione causarum evidentium fluxum



hujusmodi propter diuturnam crudorum , acidorum & viscidorum ingluviem supervenisse , temperiesque Diabetici vergat ad melancholicam , & si demùm ex naturâ symptomatum inferre liceat fluxum Diabeticum ab infarctu primarum viarum sanguinis spissitudine , & obstructionibus viscerum ortum suum duxisse , in his , inquam , rerum circumstantiis , certum est tum Emetica , tum Cathartica ( quæ tamen ratione fluxûs , & laxitatis viarum , ex adstringentium classe sumenda sunt ) deindè verò Martialia , Mercurialia , Cinnabarina , aliaque id genus aperientia , nec non Sale volatili oleoso turgida probè competere .

Quæ quidem methodus non modo ratione , sed & magnorum in arte Virorum observationibus , & autoritatibus potest comprobari , nam HARTMANNUS Diabetis specificum in Marte positum esse censet , & ejusdem essentiam mirè commendat . RULLANDUS mulierem Diabete laborantem Aquâ Chalibæata præsertim se sanavisse testatur . SYDENHAMIUS Diabetem iisdem remediis quibus curatur fluor albus , nimirum Sale volatili oleoso turgidis , cum adstringentibus mixtis , sanari posse dicit . GASSERUS testatur se vidisse Diabeticum



quemdam feliciter sanatum, hoc simplici remedio, Cancris scilicet fluviatilibus pulveratis, Thure, & Saccharo cum potu ordinario simul assumptis. In Pharmacopeis Anglorum FULLERIANA nimirum & BATTÆANA ad Diabetem curandam præscribuntur Hydromel calceum, & Aqua benedicta, tum simplex, tum composita, quorum basis est Aqua calcis post completam ebullitionem probè percolata, & edulcorantibus quibusdam mitigata. VALENTINI Hypecacuanam, Vitriolum album Emeticum, Pulverem martialem, & Cinnabarinum Aquam veronicæ ut & Aquas thermales ad hujusce fluxûs causas expugnandas prædicat. HARRIS infusionem Rhabbarbari, Santalorum; albi scilicet & citrini, Cardamomi minoris in Vino Canarino celebrat, utpotè cujus ope Diabeticum quemdam perfectè sanaverit. Denique clariss. D. CHIRAC, non modo Martialia, sed & Mercurialia, imò quoque frictions ex Unguento Neapolitano, modo ea quæ decet prudentia adhibeantur, administrari posse constanter asseverat.

Sicque gravissimis, tum rationum, tum observationum & autoritatum ponderibus, evincitur Diabetem à fixitate principiorum



& humorum spissitudine pendentem aperientibus, spirituosis, solventibus, mixtis interim ratione fluxus & laxitatis viarum adstringentibus, sanandam.

Sed ex adversò, si fluxus Diabeticus quoad quantitatem ingens sit & stupendus, respectu verò qualitatis, evidenter pateat chylum, lympham, & pinguedinem, cum serosis humoribus eliminari; si summoperè sitiant, æstuent, ardeant, & exsiccantur Diabetici; & si denique fluxus febribus ardentibus, morbis acutis, & temperamentis biliosis, aut ex diuturno & immoderato salinorum, acrim, piperatorum, & spirituosorum usu, supervenerit; in hoc, inquam, aut consimili rerum statu, cum evidens sit falsedinem, acredinem, & dissolutionem humorum prædominari; certè nemo non intelligit ad lenientia, edulcorantia, incrassantia, mucilaginosam, absorbentia, & adstringentia promptè recurrentum, quæ rursùm methodus præcedentis instar rationis, authoritatis & experientiae legibus consentanea, imò multò majori confirmatur observationum numero, ex quibus massam in Diabete sæpiùs, aut magis dissolvi, liquarive, quam coagulari colligitur.

I. Siquidem constat ex observationibus



ZACUTI LUSITANI duos Diabeticos solo usu Lactis Asinini Chalybeati, & Philonii perfici per intervalla assumpti, à tanto malo intra unius mensis spatium, aliis incassum adhibitis, feliciter evasisse.

II. ERASTUS eodem in affectu, præsertim usum adstringentium & mucilaginosorum uti Syrupum ex radice Symphiti majoris, & Prunis sylvestribus confectum, nec non decoctum eorundem Prunorum & Corticis interioris Quercûs commendat, quorum videlicet ope Puerum Diabeticum ex voto sanavit.

III. RIVERIUS noster in eundem scopum Narcotica, Syrupum nempe de Papavere, Laudanum Opiatum, cum Syrupis acidis adstringentibus, aliaque id genus censet adhibenda.

IV. Puer Diabeticus apud HILDANUM usu Pulverum adstringentium & lactis Amygdalini, tum & Unguentis Oleisque refrigerantibus & adstringentibus, ejusdem Authoris operâ perfectè fuit liberatus.

V. FULLERUS in Pharmacopœa prælaudata, nixus haud dubiè iteratâ observatione. 1°. Præscribit in fluxu Diabetico decoctum incrassans, cum Gummi Arabico pulverato in Aqua Hordei cocto, addito Syrupo de



Althæa paratum. 2°. Emulsionem, quam vocat Arabicam, confectam similiter ex eodem Gummi Arabico, cocto in Aquâ Hordei ad solutionem. Additis dein Seminibus Malvæ, Papaveris albi, Amygdalis dulcibus, Saccharo Saturni, & Syrupo de Althæâ. Demùm & Pulverum ex iisdem confectorum usum consulit.

VI. BLANCARDUS quemdam piissimum Ecclesiæ Pastorem, ope Simplicis decocti ex Malvâ Arboreâ, Lactucâ & Violis, cum non suppeterent alia ex Pharmacopoliis remedia, ab hoc fluxu brevi liberavit.

VII. THEODORUS CRAANEM ad eundem fluxum curandum, præsertim Emulsionibus, Julapiis, & Clysteribus, ex refrigerantibus, nitrosis, & adstringentibus paratis, nec non victu, ad acrimoniam humorum temperandam, idoneo, uti Lacte Amygdalino, Ovis Sorbilibus, Cremoræ Oryzæ, demùm & Unguentis Rosaceo, Populeo, Camphorato, aliisque utendum arbitratur.

VIII. WILLISIUS asserit in Diabete, præsertim Diætâ lacteam convenire, nempe Lac crudum, aut dilutum Aqua Hordei, vel cum Aquâ & Pane albissimo coctum, dein verò Pulveres ex Gummi Arabico, Tragacantha, & Saccharo penidiato, de-



coctum ex Radice Symphiti majoris in lacte, nec non Emulsiones ex decocto Hordei, Radice Nymphaeæ, Amygdalis dulcibus, & Seminibus frigidis confectas, aliaque id genus veluti summè proficua celebrat, quorum videlicet ope nobiliss. quemdam Comitem Diabeticum ab imminente periculo servavit incolumen.

IX. SYLVIUS curam omnem Diabetis in humorum acrimoniâ temperandâ consistere ait, & subjungit, hanc indicationem adimpleri potissimum usu Lactis Vaccini, Asinini, Ovilli, Caprini, muliebris, nec non spiritûs salis dulcificati.

X. DOLÆUS ad eundem fluxum expugnandum varia Opii præparata magnificat, præsertimque Laudanum Ribesiatum & Cydoniatum, deindè tincturam Coralliorum, Sulphur Vitrioli, Crocum Martis adstringentem, decocta ex Semine Papaveris albi, Rosis rubris, Radicibus Bistortæ, Tormentillæ, Terram sigillatam, Bolum Armenam, Lapidem Hæmatitem, Aquam & Serum Lactis Chalibæata, fomenta & linimenta ex adstringentibus, verbo, quælibet sanguini consistentiam tribuere, simulque laxatarum partium tonum valent roborare, commendat.

XI. Tandem LISTERUS in Diabete ma-



ximè colliquationi sanguinis occurrendum usu Lactis , Pomorum , Malorum Puniceorum , Limoniorum , Ceraforum , Fragorum , nec non ope Diacodii , existimat.

Ex quibus observationibus & authoritatum momentis satis superque fit perspicuum in fluxu Diabetico remedia ad temperandam humorum acredinem , consistentiam sanguini conciliandam , & vasorum elatorem roborandum idonea , frequentius aperientibus , resolventibus ex voto succedere, maximo dicendi indicio , dissolutionem vigente fluxu sæpius coagulatione prædominium tenere. Sed neque minus constat ex ante dictis, interim coagulationem arguendam , eidemque præscriptorum superius ope medendum esse.

Deniquè quod summa sanè dignum animadversione judicamus, si consulantur attentè variæ prælaudatorum Authorum medendi methodi , de curâ fluxûs Diabetici , patebit evidenter , non tantùm in variis ejusdem morbi differentiis, seu in diversis subjectis Diabeticis , sed & in unius ejusdemque Diabetis decursu , nunc aperientibus , Cardiacis & Sale volatili turgidis , modo verò lenientibus , increffantibus, & hypnoticis , intermixtis adstringentibus, imò



quoque variis hisce remediorum generibus simul debitâ proportione junctis, sic ut se mutuò juvare, seu ad multiplices indicationes adimplendas concurrere valeant, utendum esse, ut mirum prorsùs videri possit eorundem artis Procerum monumenta de Diabetis curatione legentibus, quod cum juxtâ præscriptas remediorum formulas diversitatem indicationum agnoscant, unum tamen idemque solùmmodò vitium sanguinis, nempe vel coagulationem, vel dissolutionem, arguendum censeant.

Verbo, cum ex adductis hùc usque rationum, observationum, & autoritatum ponderibus, evidenter inferri possit, imò, nostro quidem judicio pateat evidentissimè diversi generis indicationes ad Diabetis curam absolvendam adimplendas. Jure concludimus.

E R G O

*Ad sanandam Diabetem diversi generis remedia sunt adhibenda.*



